

**Dissertationem Theologicam De Amore Erga Deum Seipsvm Et Proximvm Ad
Locos Lvc. XIV, 1-11, Et Matth. XXII, 34-46 Illvstrandos**

Wittebergae: Stanno Tzschidrichiano, [1755?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862450438>

Druck Freier  Zugang





H10


a. B.

48. b. 8.


23.

Ja-1092 (23)


27.
24.
4.
2.
5.
2.
3.
19.
18.
7.
0.
15.
4.
3. 36.



27.
24.
4.
2.
5.
2.
3.
19.
18.
7.
0.
15.
4.
13. 36.



27.
24.
4.
2.
5.
2.
3.
19.
18.
9.
10.
15.
14.
13. 36.



Q. D. B. V

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

DE

AMORE ERGA DEVM SEIPSVM ET PROXIMVM

AD LOCOS

LVC. XIV, 1.. 11, ET MATTH. XXII, 34.. 46

ILLVSTRANDOS

P R A E S I D E

CHRIST. SIGISMVNDO GEORGIO

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN
REGIOELECTORAL. ALVMNORVM EPHORO
ET H. T. ACAD. RECTORE

AD DIEM APRILIS CIO ID CC LV

IN AVDITORIO MAIORI

DEFENDET

MICH. FRIDER. THEODORVS REINHARD

HILDBVRGHVSANVS



VVITTEBERGAE

STANNO TZSCHIDRICHIANO EXCVSA

D I S S E R T A T I O N E M T H E O L O G I C A M

U E

A M O R E E R G A D E U M
S E I P S U M E T P R O X I M U M

A D 1770

E T C. X I N . . . M . . . M A T T H . X X I I . . .

P R A E S I D E

C H R I S T . S I G I S M U N D O G E O R G I O

SS. THEOL. BOCH. DIVISIONE PROF. PUBL. ORDIN.

REGIUM THEOLOG. ACADEMIAE PRAESIDIUM

ET ACADEM. RECTOR

A D P R A E S I D I U M A P P E L L I S C I S I S C I T A

I N A U D I T O R I O M A I O R I

U N I V E R S I T A T I S R O S T O C K E N S I S

M I C H . F R I D E R . T H E O D O R U S R E I N H A R D

ALUMNIUS

~~ALUMNIUS~~

P A T T E R B E R G E

S T A N N O T E S C H I D R I C H I A N O M D C C L X X

Dudum diuina probauit ueritas, eum, qui proximum non amat, nec DEVM, nec seipsum, amare posse. Illud *S. Iohannes*, in 1 Epist. IV, 20, grauiter docuit, hoc uero ex eo sequitur, quod, qui DEVM non amat, in eum non credit, qui uero in eum non credit, saluus non fit, qui autem saluus non fit, ille ipse condemnationis suae causa est, DEVS enim, qui non uult, ut pereat aliquis, 1 Tim. II, 4, 2 Petr. III, 9, in culpa non est, qui autem suae condemnationis causa est, ille seipsum non amat. Cum ergo amor erga nos ipsos ex amore erga proximum et DEVM cognoscatur, toties Sospitator adhortatus est mortales, ut proximum sicut se ipsos, et DEVM supra omnia, ament, prout eandem hanc Regiam legem in duabus pericopis, quas praesens exhibet Dissertatio, inculcauit Idem. Faxit Summum Numen, ut omnia ipsius gloriae et proximi aedificationi bene uertant.

C A P V T I

Q V O

EVANG. DOMIN. XVII POST TRINITATIS

LVC. XIV, 1 — II, EXTANS

ILLVSTRATVR

V E R S V S I — 3

1 Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκόν
 τινος τῶν ἀρχόντων τῶν Φαρισαίων
 σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον, καὶ αὐτοὶ ἦσαν
 2 παρατηρούμενοι αὐτόν. Καὶ ἰδοὺ ἀν-
 3 θρωπὸς τις ἦν ὑδρωπικὸς ἐμπροσθεν
 αὐτοῦ. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε
 πρὸς τοὺς νομικοὺς καὶ Φαρισαίους, λέ-
 γων. Εἰ ἐξεστὶ τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν.

*Et factum est, cum ueniret ipse in do-
 mum cuiusdam principum Pharisaeo-
 rum sabbato edere panem, ut ipsi ef-
 sent obseruantes eum. Et, ecce,
 homo quidam erat hydropicus co-
 ram ipso. Et respondens Iesus di-
 xit ad legisperitos et Pharisaeos,
 dicens. Num licet sabbato curare?*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτόν - - παρατηρούμενοι αὐτόν. *Et factum est, Hierosolymis nunc commorans, in uenire ipsum, i. e. cum ueniret ipse, uid. Vindiciae N. T. ab Ebrais, p. 298, seqq. inuitatus procul dubio, sed in perniciem suam, in domum cuiusdam principum Pharisaeorum, siue, qui ex pri-*

A

mati-

24

2

2

2

2

2

3

1

1

18

1

1

1

1

1

1

1

1

36

maribus Phariseorum erat, et speciatim nonnullis ἀρχισυναγώγων unus fuisse uidetur, qualis erat *Tairus*, *Marc. V, 22*, uid. quae de Phariseorum secta ad u. 24 *Euang. Domin. Aduent. IV* annotata sunt, *sabbato*, diebus enim Sabbaticis Iudaei, et inprimis principes inter eos, peractis sacris in Synagogis, quas ingredi solebant, ibique cantantes Psalmos, orantes, et audientes, uel legentes, Mosen ac Prophetarum scripta, in domos suas sese recipiebant, atque opipare et splendide uiuentes, conuiujs quandoque celebratis, transigere eas solebant hilariter et in amore, uid. auctores a. b. *WOLFIO* in *Cur. Philol.* ad h. l. allegati, quandoque etiam proximo egeno partem quandam conuiujs mittebant, quale exemplum *Nehem. IIX, 10, 11*, extat, sed hoc conuiujs ab odio et malitia, non ab amoris affectu proficisceretur, in quo Dominum astutia circumuenire allaborabant, ipsa tamen astutia sua capti. Hinc inuitauerat ipsam Phariseus ille ad coenam, siue prandium, Sospitator etiam inuitationi eius, quae externe uidebatur sincera, reuera autem erat dolosa, *Rom. III, 13, seqq.* obtemperans, accessit ad edendum cum ipso panem, i. e. ad capiendum cibum, uid. *Vindic. p. 346, seq. ut ipsi*, scilicet ἀρχοντες, quos ille eo sine inuitauerat simul, obseruarent eum, tum qua uerba, tum qua gestus, tum qua actiones eius, hinc insidias struxerant, iuxta uersum seq. ut caperent eum. Caterum, praeter alios, obseruauit *ΛΥΔΟΥΙΟΥΣ* de *ΔΙΕΥ*, ad h. l. interpretes, qua uoculam καὶ, non conuenire, cum alii redundare, alii copulare, eam, existiment, scribens, *Beza*, τὸ Φαγεῖν accepit τελικῶς, ut regatur ab ἐν τῷ ἐλθεῖν, quum uenisset ad capiendum cibum, tum sequens καὶ non est copulatiuum, sed ex more Hebraismi retributiuum, adeoque in Latinismo superfluum, quare et a doctissimo interprete omissum, non repudio. Sic et *Arabs*. Tamen *Syros* τὸ Φαγεῖν accepit εἰδικῶς, ut regatur ab ἐγένετο. *Εγένετο Φαγεῖν*, factum est edere, uel ut habet *Vulgatus*, manducare panem, i. e. ut manducaret, sicut *infra, cap. XVI, 22*. *Εγένετο δὲ τὸν πτωχὸν ἀποθανεῖν*, tum καὶ, quod sequitur, est copulatiuum, et in Latinismo retinendum, ut factum a *Vulgato*. Verum, siue τελικῶς, siue εἰδικῶς, accipiatur uocula καὶ, non superflua illa est, sed illo sensu tunc, hoc uero sensu, ut denotat, utramque uero significationem esse pure Graecam, docent *Vindiciae*, p. 163, seq. §. XII et XIII.

καὶ ἰδοὺ ἀνθρώπος τις - - ἐμπροσθεν αὐτοῦ. *Ecce*, uid. quae de huius uocis emphasi ad u. 5 *Euangel. Domin. Aduent. I* notauimus, autem, uid. *Vindic. p. 165*, insidiarum occasionem, quas Pharisei struebant, et quibus Sospitatorum circumuenire arbitrabantur. Scilicet, homo quidam erat *bydropicus*, quem procul dubio eo fine aut aduocauerant, aut intromiserant sponte aduenientem, ut Seruatore[m], si ipsum pristinae restitueret ualitudini,

dini, profanationis sabbati accusare, eumque mortis reum habere, si uero non sanaret aegrotum, aut impotentiae, *Io. XI, 37*, aut immisericordiae, arguere possent. Verosimile enim non uidetur, ex sincero amoris affectu, Pharisaeos hominem grauissimo morbo laborantem in conuiuio admisisse. Est uero hydrops aegritudo, quae Latinis aqua intercus dicitur, quod aqua inter cutem colligitur, prout Syrus quoque reddidit, *qui congregauerat aquas sub cute*, qua corpus intumescit, ac semper fitit, et quo plus bibit, eo plus fitit, et intumescit, hinc HORATIVS, *Lib. II Carm. Od. 2*, recte scripsisse uidetur.

*Crescit indulgens sibi diuus hydrops,
Nec fitim pellit, nisi causa morbi
Egerit uenis, et aquosus albo
Corpore languor.*

Vid. plura de hoc morbo, eiusque speciebus apud IO. ERNESTVM HEBENSTREITIVM, in *Exegeti Nom. Graecor. morbos defin. p. 490, seq.* BARTHOL. CASTELL. in *Lex. Med. p. 401*. Vtrum uero occasio huius conuiuii et causa fuerit res gesta, quae *cap. XIII, 10, seqq.* a S. Luca narratur, cum b. BACKIO, *P. IV Exposit. Euangel. p. 63*, scribente, *Occasionem prodit praecedens caput XIII Lucae, ubi, cum Christus, die Sabbati in Synagoga quadam Iudaica sanasset mulierculam octodecim annis a quodam a Diueas spiritu ad terram incuruatam, male hoc habuit Synagoga principem, qui, cum ipsum Christum laceffere non auderet, populum stomachabundus bis alloquebatur. Sex sunt dies, in quibus oportet operari, in his uenite, ut sanemini. - Christus itaque hunc Nasonem acriter reprehendebat, dicens, Hypocrita -- Quae cum audirent Pharisei, indignabantur quidem, sed tamen omnes erubescabant, timebantque populum, qui omnia Christi facta, ceu mera εὐδοξία laudabat et admirabatur. Quod itaque in Synagoga facere non possunt Pharisei, hoc tentare uolunt in privato congressu, deliberant de aliquo conuiuio, communi sumtu instituendo, pluribus cum Christo acturi inter pocula de sabbatismo, unde procul dubio ab ipsis hydropicus ille conductus est, asseuerare non ausim, siquidem illa res gesta non eadem in ciuitate fuit peracta, in qua haec nostra dicitur gesta, neque iidem fuere Pharisei, de quibus hoc loco sermo est, prout ex u. 22 cap. XIII est coniecere. Cum iis potius sentiendum esse uidetur, qui ad uersum 31, seqq. respiciunt, dicentes, Cum Domino persuadere non possent Pharisei, ut ex Peraea egrederetur, alia ratione eum expellere allaborant. Idcirco ad conuiuium Dominum inuitant, quo circumuenirent eum. Nam, cum accederet, ecce hydropicus ibi stetit in conspectu eius, opis quidem indigens, sed, per quem Domino damnum inferre statuerant Pharisei.*

Καὶ ἀκούει· οἱ ἰησοῦς εἶπε· - Θεραπεύειν; Et Iesus, siue, Iesus igitur, uid. *Vindic.* p. 166, cum uideret legisperitorum et Phariseorum cogitationes ac fallacias, quas mente meditabantur, *Matth.* IX, 4, XXII, 18, *Luc.* II, 47, IX, 47, *Io.* I, 48, II, 25, *Ebr.* IV, 13, respondens dixit, uid. *Vindic.* p. 293, seqq. ad legisperitos, qui legem interpretabantur, eiusque custodes esse iactabant, *Rom.* II, 19, seqq. et Phariseos, de quibus uid. quae ad u. 24 Euangel. Domin. Aduent IV, mente fermocinantes secum, utrum sanaturus esset hydropticum et sabbatum uiolaturus. Ex quibus omnino intelligitur, Dominum recte locutionem respondendi adhibuisse, licet nulla quaestio praecessisse legatur, siquidem non ad sermonem oris, sed cordis, siue mentis respexit καρδιογνώσης, *Matth.* IX, 2, 4, *Luc.* VI, 8, ut ipforum cogitationes prauas in lucem protraheret, eorumque malitiam et insidias pungeret, uel ut alii malunt cum ΒΑΚΚΙΟ, ad h. l. scribente, *Iucundum est, si dicamus, respondisse Christum tacitis hydroptici suspiriis et gemitibus. Ut enim Dominus cor contritum et humiliatum, utpote sacrificium sibi gratissimum, non despicit, Ps.* LI, 19, sic hoc loco audit gemitus illius, qui nec rogare, nec clamare, audet. Audit enim et respondet quandoque, antequam clament homines, *Ies.* LXXV, 24. Verum ut priorem praecipiamus sententiam, quam contextus ipse confirmat, cum tam antecedentia, quam consequentia doceant, Dominum cum legisperitis et Phariseis locutum fuisse, non cum hydroptico, adeoque, illis non his respondisse, fuit sponte, sic nec dabimus, uerbum λέγων hic redundare, sed, responsionis uerba indicare, putamus, ut sensus sit, *respondens dixit in uerbis. Num licet, licetne, iuxta legem, sine uiolatione sabbati; in sabbato sanare, et opera amoris praestare? Qua quaestione adeo confundit Dominus insidiantes sibi, ut iuxta uersum seq. obmutescant iam illi, quorum focii alio tempore toties asseruerant negatiuam, prout uidere licet ex Matth.* XII, 2, 10, *Luc.* XIII, 14, *Io.* V, 10, IX, 16.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Discant Sospitatoris exemplo, qui nimis sancti ac pii sibi uidentur, aliisque uideri uolunt, quod cum impiis quoque conuersari liceat, inprimis, cum eos ad agnitionem ueritatis, ad poenitentiam, et ad opera amoris perducere, uel aliis aliquid boni exhibere, possimus.
- II Vti Dominus, suo exemplo, nos docuit, conuiuia frequentare licere, inprimis cum honesta fuerint, cuius uiuendi ratio nostrae uitae regula esse debet, sic, iuxta eiusdem exemplum, sobrii in iis, non ebrii esse, alius item doctrina, amore, et humanitate praelucere, eosque aedificare, non uero nugis, rixis, et contentiunibus alios offendere, et denique sincera mente

mente erga conuiuas esse, non uero malitiose et hypocritice eos circumuenire debemus.

III Si in DEI gloriam edendum ac bibendum est, 1 Cor. X, 31, caute in conuiuiis agere nos oportet, conf. προσοικ. antecedens.

IV Quam saepe fit, ut malitiosi sub specie quidem amoris suos doctores, uel proximum, ad conuiuium, sed, si mentem respicias ipsorum, in perniciem, inuitent, 2 Sam. XIII, 27, 28, Rom. III, 13, seqq. Hinc circumspicere ambulemus, reliqua committamus ei, qui corda probat, et consilia iniquorum facit irrita, 2 Sam. XV, 31, coll. XVII, 14, Ps. XXXIII, 10, Ies. IIX, 10,

V Malitiosus neque diei sanctitatem reueretur, neque suae dignitati et honori parcat, neque religioni sibi ducit miseriam proximi facere scandalum, quo misericors et innocens decipiatur, Luc. VI, 6, seqq. conf. προσοικ. anteced.

VI Licet tuum corpus hydropem non labore, tamen inquiras, utrum anima hoc morbo, i. e. superbia, uoluptate, malitia, et ambitione sit liber, et operam des, ut medelam ei afferas.

VII Bene spiritualiter aegrotantibus, si ad Iesum, Israelis medicum, confugiant, Exod. XV, 26, Ier. XVII, 14, Matth. XI, 28, certissime enim sanantur, Ier. XXX, 17, XXXIII, 6, 8.

IIIX Prius inquirendum est in rei causam, utrum iusta et aequa sit, antequam, reprehendatur, uel condemnetur, Rom. XII, 2, 1 Thes. V, 21.

IX In rebus, quae ad religionem spectant, legisperiti sunt consulendi, Mal. II, 7, utrum reum an falsum, utrum iustum an iniustum, sit.

X Si conscientia nos non damnet, sed de ueritate certi sumus, aduersarios, ut rationem reddant, compellare, eosque de rei ueritate interrogare, possumus secure.

VERSUS 4 — 6

4 Οἱ δὲ ἤσυχασαν· καὶ ἐπιλαβόμενος
5 ἴσασατο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσε· καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε· Τίνος ὑμῶν ἑνός, ἢ βοῦς, εἰς φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ οὐκ εὐθέως ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου; καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἀνταποκριθῆναι αὐτῷ πρὸς ταῦτα.

Illi uero tacuerunt. Quare apprehendens sanauit eum, et dimisit. Respondens autem ad eos dixit. Cuius uestrum asinus, aut bos, in puteum cadet, et non statim extrahet eum in die Sabbati. Et non poterant contra respondere ipsi ad haec.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οἱ δὲ ἤσυχασαν -- καὶ ἀπέλυσε. Illi uero, legisperiti et Pharisei, quia, aut nondum respondendi tempus esse, existimabant, aut facile praeuidebant,

bant, se nihil efficere posse contra Iesum, *tacuerunt*, ne repellerentur, et in roborem darentur, ut aliquando suis acciderat, hanc quaestionem proponentibus Domino, *Matth. XII, 10*, ratiocinantes fortasse secum, si dicamus, licet in sabbato sanare, regeret, cur alio tempore vestri contra senserunt, neque ideo reprehenderunt, imo vitae meae insidias struxerunt, *Matth. XII, 14*, si negamus, nos immisericordiae et inuidiae arguet, et neque DEVM, neque proximum, nos amare, sicut nos ipsos, iuxta legem, *Leuit. XIX, 18*, convincet, quicumque enim fratrem non amat, neque DEVM, neque se ipsum amat, *1 Ioh. IV, 20*, conf. quae ad u. 39 *Euang.* sequentis dicuntur. Hinc, uti procul d. bio arbitrabantur, satius esse mala in causa facere, quam responsione dubia se periculo exponere. Sic, *DRYSDI* rationem, uel coniecturam potius, uix admittendam esse crediderim, scribentis, *Forte tacuerunt, quia nullum erat periculum animae. Nam si fuisset periculum animae, dixissent, licet. Sic enim habent eorum traditiones. Periculum animae uoco, quando aegrotus de uita periclitatur.* Nam ex contextu illa non fluit, sed ex uersu 5 potius conicere licet, aegrotum prorsus confectum, et periculum animae, fuisse, sicut iumentum, quod in puteum incidit, omnino de uita periclitatur, nisi sine mora ipsi opem ferant. Quo sensu *AVGVSTINVS* quoque accepit. *Quare, tacentibus illis, et quasi consentientibus, qui enim tacet, consentire uideatur, apprehendens, uel ut aliis placet, tangens, aegrotum, adeoque nihil faciens, quod in Sabbato erat illicitum, nisi edentibus quoque et bibentibus, uitio uerteris, quod uestes cibum, ac potum tangant, uel comprehendant, sanauit eum miraculose, solo tactu omnipotentiae suae, ex mera gratia, amore, et misericordia, nec dubium est, quin aduersarii, hoc miraculo, dum uidebant aegrotum hydrope liberatum, perturbati obstupuerint. Ne uero de sanitate recuperata aliquis ambigendi, uel Pharisei eum criminandi, causam haberent, prout alio tempore factum erat, *Matth. XII, 22, seqq. Io. IX, 8, seqq.* statim dimisit eum, ut quilibet eum explorare possit, utrum, et quomodo, reconualuerit, ipseque beneficii miraculosi esset testis ac praeco, cet. *Pf. CIII, 1, seqq.**

*καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε. - ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου. Post haec, simulac, cum dimisisset sanatum, respondens amplius, siue responsionem supra inchoatam continuans, ad ipsos legisperitos et Phariseos dixit, ut eos publice conuinceret de malitia, inuidia, et iniquitate, qui plus de asino, quam homine, solliciti essent, cum illius uitam conseruare nulli dubitarent, huius autem uitam non tantam non curarent, sed etiam impediendi animus ipsis esset, quo minus conseruaretur. Cuius, itaque, inquit, uestrum asinus, Syrus interpretes habet *ⲓϣ* filius eius, errore, procul dubio, scribentis,*

bentis, qui legit *ὄως* pro *ὄνος*, deceptus, nonnulli item codices legunt *ὄis*, quam lectionem genuinam dicit MILLIUS, sed uid. quae reponit WHITBIUS in *Exam. Var. Lect. N. T. Mil.* p. 46. aut *bos*, in puteum incidet, et, scil. iste, i. e. qui iuxta *Vindic. p. 238, seqq.* non statim, sine mora, ne pereat, extrahet eum, siue asinus, animal immundum, siue bos, animal mundum, sit. Si itaque hoc, quod longe maiori negotio, labore, et strepitu fit, sine profanatione ac uiolatione Sabbati fieri potest, eccur offensi estis, quod ego miserimum hominem, qui quasi in puteo haerebat, cum aqua intercus ipsum undique circumdedisset, eique suffocationis periculum immineret, ex praesentissimo liberaui periculo, sine ullo labore humano atque strepitu, sola omnipotentiae uirtute? Ex quibus addiscitur, opera necessitatis et amoris in die Sabbato praestanda esse, et proximum proximo ad opem ferendam obligari, nec aliter facere posse hominem, si DEVM et semet ipsum uere amauerit. Illud enim ex *Io. IV, 20*, deducitur, hoc uero ex aurea illa regula, quaecumque uolueritis, ut uobis faciant homines, eadem et uos ipsis facite, *Matth. VII, 12*. Si ergo sibi bene cupiat, seque ipsum amet, etiam proximo bene cupere, eumque amare, necesse est, sin uero se ipsum non amauerit, neque proximum, nec DEVM, amabit.

Καὶ οὐκ ἴσχυσαν -- πρὸς ταῦτα. Sed illi Pharisei, hypocritae, non poterant, contra argumentum Domini, quo a minori ad maius concludebat, *Matth. XII, 10, seqq. Luc. XIII, 15, seqq.* quicquam excipere, uel contra respondere ad haec uerissima, quae Dominus partim fecerat, dum sanauerat hydropticum, partim docuerat, quod scilicet liceat in Sabbato bene agere, piorumque id sit officium. Hinc obmutuerunt illi, de ueritate conuicti, bene scientes, quod necessitatis et charitatis opera in Sabbato liceant. Nisi enim haec fuissent licita, causam omnino habuissent contradicendi, et re ipsa contradixissent. Nec id negant Rabbini ipsi, quando, b. WOLFIO in *Cur. Phil.* ad h. l. obseruante, in *Gemara Schabbath* tradunt, Si bestia in fontem aquae incidit Sabbato, puluini adducendi sunt, eique substernendi, ut possit ascendere, aut si pabulo solo ibi conseruari in uita possit, pabulum ei illic datur, et RELANDVS, apud eundem, producit exemplum Hillelis, quem, cum niue tectus reperiretur, Sabbato ablutum, unctum, et in hypocaustum portatum fuisse, dicunt, reliqua. Hinc LIPMANNVS Iudaeus falsus omnino est, quando in *Triumpho de quatuor Euangelistis* reportato mentitur, Sospitorem contra Iudaeorum consuetudines et iura asseruisse, bouem, uel asinum, in sabbato ex fossa ab ipsis liberari, imprimis cum BUXTORFIVS in *Synagoga*, c. 10, annotauerit, annis post Christum natum trecentis a Iudaeis ex odio in Christianam religionem et N. T. scripta hanc consuetudinem immutatam, et in *Gemaram* relaram, fuisse, ΠΡΟΣΟΙ-

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

- I In eo multum superant malitiosi legis periti nostros, hique illis peiores sunt, quod illi, de ueritate a Domino conuicti, tacuerint, et ueritati cessauerint, nostri autem, licet semel iterumque conuicti, non sileant, sed ueritati ἀνοκατακρίτως, *Tit. III, 2*, repugnent, eamque peruertere conentur, *2 Tim. II, 15*, seqq. *Tit. I, 10, 11*.
- II Opportuno tempore et urgente ueritate silere, omnino est probandum, *Ecc. III, 7*, sed intempestiue, cum loquendum sit, et ueritas prematur, imo periculum sit, ne opprimatur, tacere, graue est peccatum, *Pf. LVIII, 2*, *Ies. LVI, 20*, *Ez XXXIII, 8*.
- III Impiorum linguam ut DEVS facile compescere potest uariis modis, *2 Reg. XIX, 10, 28*, *Pf. LXIV, 9, 10*, sic unumquemque decet, ut linguam quoque suam compescat, ne mala loquatur, nec contra ueritatem garrat. *Pf. XXXIV, 14*, *Prōu. XXI, 23*, *Iac. III, 2*, seqq. Conf. προσοικ. antecedentes.
- IV Quamuis malitiosis hominibus tua amoris et misericordiae opera displiceant, eaque illi reprehendant, rideant, et traducant, minime tamen te decet, nec illi te mouere debent, ut uel ab istis ulterius exercendis desistas, uel in bono lassus fias, si modo conscientia tibi testis sit, opera tua ex uera fide, non ex hypocrisi et uana oscitantia, proficisci, *2 Cor. I, 12*, *1 Tim. I, 5*, *1 Petr. III, 16*, *Hebr. XI, 6*.
- V Disce, quod, ad exemplum Domini, tuum sit miserorum, et qui ope indigent, misereri, iisque opem ferre, antequam petant, *Ies. LXV, 24*, *Luc. VI, 36*.
- VI Dextera DEI omnia immutare, et ex aegrotis incolumes, ex miseris felices facere, potest, *Pf. LXXVII, 12*, *Ies. LIX, 1*, *Dan. II, 21*. Ad hanc ergo confuge, et seruaberis, conf. ad uersus anteced. προσοικ. VII.
- VII Quam multi sunt, quorum canina et asinina mens plus amat canes et asinos, quam proximum, et ipsos suos. Utinam ad se redirent, et expenderent secum, unumquemque proximum, si uel maxime pauperrimus ac miserimus sit, eundem habere parentem, quam ipsi, et inuicem fratres esse, *Mal. II, 10*, *Act. XVII, 26*, *1 Cor. VIII, 6*, eundemque habere redemptorem, qui idem soluit λύτρον pro illo, quod pro se ipso, *1 Tim. II, 6*, *1 Iob. II, 2*.
- IIIX Si licet irrationalibus brutis in sabbatis succurrere, quanto magis rationalibus opera misericordiae et amoris in diebus Sabbaticis sunt praestanda, *Matt. XII, 12*, Conf. ἐξήγησις.
- IX Sabbatici dies sunt quidem mente pia et ἀνοκακρίτως, sed non superstitiosa et malitiosa celebrandi, *Hof. VI, 6*, *Amos. V, 21*, seqq. *Mich. VI, 6*, seqq.

15.

X Vt hypocrisim et malitiam sapientia, veritas, et sinceritas uincunt, scillorum mancipia facile ad silentium redigere possunt ueritati et sinceritati studentes, *Matth. XXII, 33, 34, 46, Act. VI, 10.*

XI Singulare DEI donum est, quando suos ita exornat, ut ueritatem non tantum propugnare, sed etiam tanto spiritu eandem asserere, possint, ut ei resistere non queant aduersarii, *Act. VI, 10.*

XII Inimicos tuos ad silentium non facilius redigi posse, credas, quam si, ueritatem securus, sancte uiuas, eoque iis omnem criminandi occasionem auferas, *2 Cor. VI, 3, seqq.*

VERSUS 7 — 9

7 Ελεγε δὲ πρὸς τοὺς κεκλημένους παραβολὴν, ἐπέχων, πῶς τὰς πρωτοκλισίας
 8 ἐξελέγοντο, λέγων πρὸς αὐτοὺς· Ὃταν κληθῆς ὑπὸ τινος εἰς γάμους, μὴ κατακλιθῆς εἰς τὴν πρωτοκλισίαν, μὴ ποτὲ ἐντιμότερός σου ἢ κεκλημένος ὑπ' αὐτοῦ,
 9 καὶ ἐλθὼν ὁ σέ, καὶ αὐτὸν, καλέσας εἶπαι σοι. Δὸς τούτῳ τόπον, καὶ τότε ἀρξῆ μετ' αἰσχύνῃς τὸν ἕχατον τόπον κατέχειν.

Dixit autem ad uocatos parabolam, obseruans, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad eos. Cum uocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo accubitu, ne forte honoratior te sit uocatus ab illo, et ueniens, qui te et illum uocauit, dicat tibi. Da huic locum, et tunc incipies cum pudore ultimum locum occupare.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ελεγε δὲ - λέγων πρὸς αὐτοὺς. Dixit autem Iesus, postquam miraculum ediderat in hydropico, (Videtur enim, statim illud, domum Pharisei ingressus, edidisse, et, cum collegae eius ad quaestionem Domini nihil responderent, forte colloquium abrumpentes indicauerunt, quod edendi tempus, et animus in patinis, sit,) ad uocatos, qui nobilioris conditionis erant, parabolam, eo fine, ut eos edificaret, atque superbiae morbum, quo ipsorum animae laborabant, curarer, ad quam parabolae uocem recte GROTIUS, ad h. l. scripsit, Ita appellat sequentem admonitionem, quia exemplo rei conuiuialis ostendit, quid in omni uita, neque coram hominibus tantum, sed et coram DEO, nobis sit faciendum. Vnde et generale infertur pronuntiatum, commate u, quod repetitum infra est, cap. XIIX, 14, minus ergo hic dicitur, plus significatur, quod est, παραβολῆς, ut eam uocem Hellenisticae, (si pro gente illa Heinsiana, quam SALMASIUS proseripsit, haec uox accipiatur, male, sin pro Graecis, ut Platone, Aristotele, recte, iudicauit GROTIUS,) usurpant. Opportune autem Christus, sanato corporis hydrope, sanare etiam aggreditur duplicem animi hydropem, superbiae tumorem et pecuniae sitim. conf. quae de parabolis ad u. 24 Euang. Domin. V post Ephan.

B

24.
28.
2.
24.
2.
3.
19.
18.
31.
36.

phan. sunt notata, attendens tum corporis, tum omniscientiae, oculis, conuiuiarum corda, fastu repleta, quem externis prodebant actionibus, quomodo illi, data opera, primos accubitus, de more accumbendi apud Hebraeos usitato, uid. quae ad u. 20 *Euangel. II Fer. III Nat. Cbr.* diximus, eligebant, contententes forte gestibus ac uerbis, aut animo secum statuentes, sibi debere primas, hanc illamue causam in mente allegantes, dicens ad eos, uel si malis, reddas, in uerbis.

Όταν κληθῆς ὑπό τινος - ὑπ' αὐτοῦ. Cum acciderit, ut uocatus, uel inuitatus, fueris ad nuptias, in quibus cum primis tenendum est, quo omnia fiant κατὰ τάξιν καὶ εὐχρημοσύνην, ne perturbentur nuptiae, uel sponsi sponsaque offensione, uel rerum confusione, uel cibi potusque defectu, *Ioh. III, 3*, uel ministrorum negligentia, uel denique conuiuiarum superbia, ambitione, ac contentione, ex quibus cum saepe oriantur indignationes ac rixae, suadet Seruator conuiuii, ne a parte sua occasionem dent dissensionibus, iisque unam ex potioribus causis, quam in hoc quoque attendebat conuiuium, proponit, inquit, ne accumbas, in primis, cum ignoraueris reliquos, qui tecum inuitati sunt, in primum accubitus, siue accubitus locum, ratio uero est, cum circumspicte hic agendum sit, ne forte honoratior te, cui cedere te oportet, sit uocatus, uel inuitatus, ab eo hospite, qui nuptias facit. Laudabilis hinc fuit ille iuuenum Romanorum mos, qui, teste *Valerio Maximo, lib. II, 1*, inuitati ad coenam, diligenter quaerebant, quinam ei conuiuium essent interfuturi, ne senioris aduentum discubitu praecurrerent. Hic quoque facit illud coniuiale praeceptum, *Sedis*, inquit, *honorem alteri libenter cede, et ad honoratiorem locum inuitatus comiter excusa, si tamen crebro serioque iubeat aliquis auctoritate praeditus, uerecunde obtempera, ne uideare pro ciuili praefractus.* Intelligitur uero ex hoc pariter loco, aliisque, quod Dominus πρωτοκλισίας non reiciat in genere, quas DEVS tum in Ecclesia, ut DEVS ordinis, *1 Cor. XIV, 33, 40*, tum in republica, instituit ipse sapientissime, ut sibi inuicem homines inferuiant, et omnia iuxta ordinem fiant, sed πρωτοκλισίας uitia, qualia sunt contentio, ambitio, superbia, reliqua.

Καὶ ἐλθὼν, - τόπον κατέχειν. Et ueniens ad conuiuas spectandos et salutandos, *Matth XXII, 11*, qui te, sibi primas debere persuadentem, eamque ob superbiae persuasionem primum locum occupantem, et illum, qui te illustrior est, inuitauit, dicet tibi, tum pro auctoritate sua hospites ordinandi, tum propter huius praerogatiuam, qua ipsi primus debetur locus. Da huic locum primum, utpote te digniori, et tunc, cum cedendum tibi omnino sit, incipies cum pudore, quoniam ambitione et superbia dementatus

de facto primum occupaueras locum, *ultimum locum*, ex modestia enim et humilitate ultimum locum occupare, dedecoris, uel pudoris, non est, *occupare*, more Orientis gentibus recepto, quae cum in lectis illae recumbebant, de quibus uid. quae supra ad u. 20 *Euang. II Per. III Nativ. Christi* sunt notata, loca sua non mutabant, sed si mutatio fieri debebat, primus ultimum locum occupare tenebatur, reliqui enim sequentes loca sua retinebant, nec fastuoso ea cedebant, adeoque, hunc, de quo Sospirator loquitur, ex primo ultimum fieri, necesse erat, quod sine rubore et dedecore fieri non poterat. Ad locutionem denique, ἀεξῆ κατέχευ, quod attinet, uid. *Vindiciae* p. 307, seqq.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I** Discant Sospiratoris, exemplo conuiuiae, quod in conuiujs quoque debeant proponere, quae ad institutionem et aedificationem proximi quicumque faciunt, siue ad fidei, siue ad morum, pertineant praecepta, si modo in gloriam DEI tendunt, *1 Cor. X, 31.*
- II** Noli superbire mente, Dominus uidet et resistit, *Matth. XII, 25, Io. II, 25, 1 Petr. V, 5, Hebr. IV, 13,* neque externe, superbi enim DEO et hominibus displicent, *Prou. XVI, 5, 18, XXI, 4, 24, Luc. I, 51.*
- III** DEVS, cum sit DEVS ordinis, non quidem improbat πρωτοκλισίας inter homines legitimas, *Pf. LXXXIV, 12, Luc. I, 52,* quas unusquisque bona conscientia occupare potest, sed illegitimas, et ad quas occupandas fastus mortales agitat, conf. προσοικ. anteced.
- IV** O si expenderes, homo, quis sis, *Gen. III, 19, Pf. CIII, 15, 16, Ies. XL, 6, 7,* non superbires certe, sed mori, et uanitatem temnere, disceres, *Pf. XXXIX, 5, 6.*
- V** Conuiuia et nuptias frequentare est licitum, et certo respectu laudandum, *Io. II, 2,* superbia autem ac fastus conuiuarum reprehendenda omnino sunt, DEOque et proximo displicent, iuxta προσοικ. II.
- VI** Ad carnis quidem opera homines sunt procliuēs, in iisque seligendis, et potissimum iis, quae carni prae reliquis placent, omne studium et operam adhibent, sed ad spiritus opera, quae ad uirtutes et animam spectant, admodum difficiles et inertes sunt, *Gen. IIX, 21, Prou. XVI, 5, 18, Eccl. II, 4, seqq. Rom. VII, 28, 19, Gal. V, 17.* O si homines se ipsos suamque naturam fallacem cognoscerent, et sapere discerent, *Pf. XXXIX, 5, seqq. XC, 13, Eccl. II, 11.*
- VII** Nemo sibi persuadeat, se esse summum, semper inueniemus quosdam, qui nos superiores sunt. Propterea in locis occupandis et con-

nerfationibus cautiores fimus, honorem expectantes potius, quam fumentes, aut ingerentes nos, *Ebr. V, 4, 5.*

IIIX Vt mores urbani pietati nullo modo repugnant, quin potius haec illos, utpote amoris comites, requirit omnino, ideo enim sumus urbani, quia proximum offendere nolumus, offendere autem nolumus eum, quia amamus eum, *Rom. XII, 10, XIII, 9, 10*, sic semper eo contendamus, ut illos cum hac domi forasqua coniungamus, *1 Petr. II, 17.*

IX Hospites tenentur unicuique conuiuatum honorem suum tribuere, *Rom. XIII, 7, 1 Petr. II, 17*, hinc altera ex parte sapienter conuiuatis suis prospiciant hospites, ne contentionibus occasio detur, altera uero ex parte uitio nemo uertat eis, quando suum cuique tribuunt locum, suum cuique honorem.

X Fastus et superbiae fructus cum sint ignominia, odium, humiliatio, et contemtus, uid. ad uersus seqq. *Εξηγ.* procul omnino sis ab isto uitio, idque, ceu anguem, fuge pro uirili.

V E R S U S IO ET II

IO ΑΛΛ' ὅταν κληθῆς, παρευθεὶς ἀνάπεσον εἰς τὸν ἔσχατον τόπον, ἵνα, ὅταν ἔλθῃ ὁ κεκληκῶς σε, εἴπῃ σοι, φίλε, προσανάβηθῃ ἀνώτερον, τότε ἔσαι σοι δόξα
II ἐνώπιον τῶν συνανακειμένων σοί. Ὅτι πᾶς, ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται. Καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν ὑψωθήσεται.

Sed, quando uocatus fueris, uadens recumbe in ultimum locum, ut, cum uenerit is, qui uocauit te, dicat tibi, Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul recumbentibus tibi. Quia omnis, exaltans se ipsum, humiliabitur. Et humilians se ipsum exaltabitur.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Αλλ', ὅταν κληθῆς, - - προσανάβηθῃ ἀνώτερον. *Sed, hoc fac, prout hominem bene moratum moribus et pietate efformatum decet, quando uocatus, uel imitatus, fueris, tuque nuptias illas frequentare uolueris, uadens, relictis tuis negotiis domesticis, et, more recepto, omnibus, quae ad solemne huiusmodi conuiuium requiruntur, rite paratis, recumbe, consuetudine orientis gentibus recepta, quae non assidebant, sed accumbebant, coenantes, in ultimum locum, quo enim superiores sumus, eo nos submissius geramus. Si enim te hoc gesseris modo, altera ex parte humilis et cordatus iudicaberis, qui cum primas sedis honorem iure merearis, adeo illum non affectas*

affectas, ut ultro quoque eam aliis deferas, altera uero ex parte neminem
 offendes, neque haec humilitas tua tibi inferet damnum, quin potius illa
 tibi in honorem cedet, et omnes te amabunt praesentes, ipseque adduce-
 tur hospes in hanc aequitatis sententiam, ut, postquam aduenerit ille, qui in-
 uitaui te ad has nuptias, honoris causa, et dixerit tibi, quem honorare uult
 coram, et in honoris loco collocare, ascende, prout conuenit et aequum
 est. Solent enim heri, scribit CORNELIUS A LAPIDE ad h. l. quasi domini
 in domo sua, cuique inuitato assignare locum illi congruum in mensa, quod olim
 faciebat modimperator, siue praefectus conuiuii, habita dignitatis, uel aetatis cu-
 iusque ratione. Vnde fratres Iosephi, ab eo inuitati, sederunt coram ipso,
 primogenitus iuxta primogenituram suam, et minimus iuxta aetatem suam,
 Gen. XLIII, 33. Amice, quae uox quidem uarie sumitur, hoc autem loco ob-
 seruantiae, honoris, et blandiloquentiae esse uidetur, ascende superius.
 Idem docet Salomo, Prou. XXV, 6, 7, idemque docuere ex rationis lumine
 philosophi, et non hoc tantum, quod πρωτοκλισία affectanda non sit, quo-
 niam gloria sequatur fugientem, et sequentem fugiat, uelut umbra cor-
 pus, sed etiam hoc tradidere praeceptum, quod ideo conuiuatori succen-
 sendum non sit, si hunc illumque praetulerit digniori, quoniam locus ne-
 que claritatem, neque obscuritatem, afferat homini, quam in sententiam
 recte iudicauit Lato, apud PLUTARCHVM in conuiuiis VII Sapientum, qui,
 cum ei in choro quodam ultimum locum assignasset praefectus, his eum
 alloquebatur uerbis, Bene abs te factum est, qui huius quoque loci cobonestan-
 di rationem repereris, cum non hominem loco, sed locum potius homine, ornari
 atque cobonestari, existimares, itemque SENECA, lib. de Ira, scribens, Mi-
 nus honorato loco positus irasci coepisti conuiuatori, uocatoque ipsi, qui tibi prae-
 ferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem
 te, aut turpiorem, potest facere puluim? Ex quibus recte infert CORNELI-
 VS A LAPIDE, inquiens, Non ergo curandum est, quo loco, aut post quos,
 collocemur, sed potius ut cum iis, quibus accumbimus, bene nobis conueniat,
 statimque, in nobis ipsis principium ansamque amicitiae inesse, ostendamus, dum
 non succensemus locanti, sed laudamus, quod talibus nos adiunxerit. Etenim,
 qui loci causa irascitur, is magis ei, iuxta quem positus est, quam uocatori,
 seu collocanti, irascitur, et utique fit insensus. Assuescant ergo conuinae siue
 fastu, atque fraterne, seu amice, statim a ianua, hoc est, a principio coenae,
 una uersari atque accumbere. Quod si itaque inuitati hanc, quae a Seruatore
 et sapientibus tradita est, obseruant doctrinam in conuiuiis, imo in totius
 uitae actionibus, nunquam inuisi et molesti erunt simul conuiuantibus, uel
 secum conuersantibus, sed omnibus accepti et honore digni iudicabuntur,

sive, ut Domini sese habent verba. *Tunc*, cum adeo prudenter, humiliter, et modeste te gesseris, *erit tibi gloria* tum prudentiae, tum humilitatis, tum modestiae, tum urbanae uiuendi rationis, et quae id genus gloriae genera sunt alia, *coram simul accumbentibus tibi*. Cuius gloriae rationes partim sunt uirtutes, modo recensitae, quas prudentes homines in iis, ex quibus elucet, amare, extollere, et magnificere solent, partim uero superbiae, fastus, et ambitionis odium, odio enim sapientes prosequuntur ambitiones ac fastuosos, eosque fugiunt et nihili faciunt. Accedit, quod exaltantes se ipsos humiliabuntur, humiliantes uero se ipsos, exaltabuntur, ut haec Seruatoris doctrina in sequenti uersu inculcatur.

Οτι πᾶς, ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν - ὑψαθήσεται. *Nam*, addit nunc Dominus doctrinae suae pondus et rationem in genere, quae ad speciales casus est applicanda in specie, cur humilitas commendanda, eique studendum sit, fastus autem et ambitio fugienda, quia *omnis*, quicumque sit, homo *exaltans sese*, uani honoris cupidus et ambitione abreptus, uerus enim honor non rapitur, sed datur, *humiliabitur* a DEO, *1 Petr. V, 5, Iac. IV, 6*, et, si fieri poterit, ab hominibus quoque, superbum enim quilibet fugit et odit, quia quemlibet ille despiciet et offendit. Hinc quo magis sese exaltat, eo magis ad occasum ruit, *Prou. XVI, 18*, prout recte BERNHARDVS scripsit, *quanto magis ad alta festinas, tanto magis ad occasum inclinas*. Contra uero, quanto humiliorem te geris, eo propiorem te esse ad exaltationem, credas. Promissio enim DEI et Seruatoris fallere non potest, quae haec est, *et humilians se ipsum*, sincera scilicet mente et corde haud infucato, ad exemplum Domini, *Matth. XI, 28*, non animo simulante duntaxat et externe coram hominibus. Sunt enim multi, imo plurimi, quoniam superbiae et ambitionis uitium ab *Adamo* ad omnes eius posteros transit, qui, dum ueterem Adamum in corde non supprimunt, externe quidem humiles uidentur, humilitatemque simulant ac iactant, *Col. II, 2, 3*, ne ab hominibus corripiantur, uel apud eos in notam atque odium incurrant, interne autem animus eorum intumescit superbiae atque ambitionis lue, *Luc. I, 51*, nec satis uenerari et honore excipi possunt. Quid inde mirum, si istiusmodi homines, qui humilitatis speciem habent, et hominibus humiles uidentur quidem, sed non sunt, a DEO non exaltentur. Ad eos enim hypoeritas non spectat promissio DEI, sed ad eos, quorum corda perscrutatur, *Ier. XVII, 10, Act. I, 24, Hebr. IV, 13*, quod humilia sint, tum erga DEVM, quando suis uiribus, aut operibus, non confidunt superbe, sed, miseriam suam agnoscetes, sola DEI gratia ac misericordia et Seruatoris merito innituntur, tum erga proximum, quem non alto supercilio despiciunt, aut se ipsis minorem faciunt, sed sicut

semet-

femetipfos amant, (amor enim est fons humilitatis,) eumque quavis occasione efferre, imo praeferre sibi, non dubitant, *Phil. II, 3*, tum denique erga se ipsos, quando nec sibimet ipsis de suis uirtutibus, meritis, ac donis acceptis nimium persuadentes blandiuntur, nec gloriantes sibi tribuunt ea, quae DEO tribuenda erant, *1 Cor. IV, 7*, adeoque a fiducia in DEVM ad se ipsos non confugiunt, neque superbia se ipsos exaltantes in perniciem deiiciuntur, et ad infernum usque humiliantur. Quare toties uera humilitas in sacris literis commendatur, superbia uero dissuadetur, idque CICERONIS, quo superiores sumus, eo submissius nos geramus, collaudatur. Nec desunt rationes permultae, quae ad humilitatem mortales obligant, praeter eam enim, quam ipse Dominus addaxit, *exaltationem*, adhuc aliae prostant, quas morum doctores allegant, in quibus prima est, quod humilitas ipsa sit honos, ut BALDVINVS in *Catena Tilmanni Godfredi* scripsit bene, *Humilitas in honore honor est, ipsius honoris et dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore ipsa sufficit ad honorem, honor uero sine humilitate se perducit ad confusionem.* Altera, quod sit uera magnitudo animi, siue magnanimitas, sola enim despiciit uanam huius mundi gloriam, et quae in his terris sunt, contra uero, propria gloria abiecta, sola gloria et merito Christi innixa, ad ea tendit, quae supra sunt, ubi Christus, humilitatis suae exemplum, est, *Col. III, 1, 2, Matth. XI, 29*. Tertia Christianismi ratio et status est, qui sine humilitate stare non potest, quoniam iuxta eum humiles saltem in gratia sunt, apud DEVM, *Eccles. III, 19, 1 Petr. V, 6*, et Christiani Christianismi auctori, suoque capiti, *Matth. XI, 29*, similes esse debent, et in uite sua inueniri, tales enim palmites esse debent, qualis uitis, tales riuli, qualis fons, *Io. XV, 2, 5, Iac. III, 11, 12*. Christianis ergo, ut AVGVSTINVS habet, *omnibus custodienda est humilitas, quandoquidem a Christo Christiani appellantur, cuius Euangelium nemo diligenter intuetur, qui non eum doctorem humilitatis inueniat, et tum maxime, uirtutis huius sectatores et conseruatores eos esse, conuenit, qui magno aliquo bono ceteris eminent, ut magnopere curent illud. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus.* Quarta est summum istud bonum, quod apud DEVM in gratia sis, *1 Petr. V, 5, Eccl. III, 19*, qua amissa, omnia amissa, scias, amittis autem eam superbia, *1 Petr. V, 5*, habes eam humilitate, quae a fide proficiscitur. Quinta, quod in gratia simus apud homines, humiles amant omnes, prout bene obseruauit HIBRONYMVS, *Nihil, inquit, habes humilitate praestantius, nihil amabilius. Haec est enim praecipua conseruatricis, et quasi custos quaedam, uirtutum omnium, nihilque est, quod nos ita et hominibus gratos et DEO faciat, quam si uitae merito magni, humilitate infimi,*
simus

simus. Sexta, quod humilitas et superbiae resistat, et nos, quid simus, admoneat, quam in rem b. Ephrem de Vita Spirit. scripsit, Memento, quia pulvis es, quia cinis es, quia putredo et uermis es, quia, etsi aliquis es, nisi tanto te humiliter, quanto magnus es, perdes omne id, quod es. Num quid tu altior, quam primus Angelus? Num quid tu splendidior in terra, quam Lucifer in coelo qui propter superbiam ex summo ad imum decidit? et quae sunt aliae rationes plures, quae uid. apud CORNEL. a LAPIDE ad Eccl. III, 20.

ΠΡΟΣΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

I Non conuiuia, non laetitiae, sed conuiuiorum laetitiarumque luxus, abusus, aliaque uitia in iis perpetrata, prohibentur, Gen. XXI, 8, Deut. XVI, 11, Eccl. VI, 1, 2, 3, Luc. V, 29, seqq. XIV, 16, 1 Cor. X, 7, Apoc. III, 20, XIX, 9.

II Veri qui sunt Christiani, Seruatorem sequuntur, Matth. XI, 29, et proximum sibi inuicem humili corde praeferrunt, Phil. II, 3.

III Quam multi sunt, qui externe in humilitate incedunt, interne autem superbia intumescunt Luc. I, 51, Col. II, 18. Ad hos non pertinet uox Christi, quicumque se humiliat, ille exaltabitur, neque Petri, quod DEVS humilibus sua gratia adsit, 1 Petr. V, 5, 6, Eccles. III, 19, conf. προσοικ. seq.

IV Simulata humilitas DEO non placet, sed ea, quae est cordis, siue interna, et a uera fide, mediante charitate, proficiscitur, externe autem gestibus, uerbis, et actionibus sese exerit, Matth. VII, 18, 20, XI, 29, Iac. II, 18. Conf. Εξηγησις.

V In conuiujs et nuptijs nemo appareat, nisi inuitatus, ne partim ordinem turbet, 1 Cor. XIV, 33, 40, partim in ruborem detur et eiiciatur, Matth. XXII, 12, 13.

VI Cum gentiles, qui a Christo et DEO alieni erant, Eph. II, 12, iuuentutem instituerent, ne πρωτοκλισίαν temere arrogarent sibi, uid. Εξηγ. quanto magis Christianos decet humilitati studere, iuxta προσοικ II.

VII Honos, qui cuique debetur, et quilibet eum humilitate cordis sibi tribuere potest, Rom. XIII, 7, repudiandus non est, sed honoris affectatio,

Oratio, eumque si quis fastus ac superbiae instinctu ambiat, de eoque contendat, *Luc. XII, 7, 1 Petr. V, 5.*

II X Cum vera, non uero hypocritica, humilitas ipse honos sit ac gloria, uid. *Εξήγησις*, et exaltationis promissionem habeat, conf. *Εξήγησις*, cur humiles esse cunctamus? Cur non pro uirili ei studeamus, ut et nos exaltemur.

IX Si homo *γνώθι σεαυτὸν* disceret, disceret etiam, quis esset. Vid. *Εξήγ.* et superbire procul dubio desineret, contra uero humilitati se dederet iussu Domini, *Matth. XI, 29.*

X Alta sapiunt homines, nec tamen ea, uid. *προσοικ.* VI et II X, quae ad alta ducunt, sapiunt, sed quae ad imum rapiunt, *Prou. XVI, 18, XXI, 24.* O peruersum genus!

XI Ecce homo, cum superbiae tuae finis perniciosa sit humiliatio et uanitas, *1 Io. II, 16*, cur superbis, cur ipse te exaltas? nonne, ut eo grauiori lapsu ruas?

XII Tuum est, ut humilies te, DE I autem, ut te exaltet, *Iob. XXII, 29, Ps. CXIII, 7, 8, Prou. XXIX, 23, Ez XVII, 24, XXI, 26, Luc. I, 51, 52, XI IX, 14.* Conf. plura, quae ad u. 13 et 14 *Euang. Domin. XI post Trinit.* sunt notata.



C

CAPVT

CAPVT II

QVO

EVANG. DOMIN. XIX POST TRINITATIS

MATTH. XXII, 34 — 46, EXTANS

ILLVSTRATVR

VERSVS 34 — 36

34 Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες, ὅτι ἐφί-
μωσε τοὺς Σαδδουκαίους, συνέχθησαν
35 ἐπὶ τὸ αὐτό. Καὶ ἐπρωτόησεν εἰς ἐξ
αὐτῶν νομικὸς, περιάζων αὐτόν, καὶ
36 λέγων. Διδάσκαλε ποῖα ἐντολὴ με-
γάλη ἐν τῷ νόμῳ;

Pharisaei autem, cum audierant, quod
occluserit os Sadducaeis, conuene-
runt una. Interrogauit autem unus
ex illis legisperitus, tentans eum,
et dicens. Magister, quodnam man-
datum magnum est in lege?

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Οἱ δὲ Φαρισαῖοι - - ἐπὶ τὸ αὐτό. Pharisaei autem, uid. quae de illis ad
u. 24. Domin. Aduent. IV dicta sunt, postquam audierunt, aut fama, aut ipsi
praesentes et testes αὐτόπται fuerunt, quod Dominus, Magister ille,
lingua erudita praeditus, Ies. L, 4, imo ipsa Patris sapientia, Prou. IIX,
22, seqq. Col. II, 3, cum Sadducaeis, iuxta u. 23, seqq. huius cap. XXII, colloca-
tus, eos ad incitas redegerit, eorumque os occluserit. Proprie Φιμοῦν, *cano*
obstringere notat, 1 Cor. IX, 9, 1 Tim. V, 18, per metaphoram uero, ad si-
lentium aliquem redigere adeo, ut os eius cano quasi obstrictum et oclu-
sum uideatur, ut loqui non possit, sicut canis, uel alia bestia, cuius os ca-
mo est obligatum, latrare, uel mordere, amplius non queat, hinc *obmu-
tescendi* notio, Matth. XXII, 12, Marc. I, 25, Luc. IV, 35. Adeo itaque ad si-
lentium redegerat Dominus, ut obmutescerent, et muti quasi essent, Sad-
ducaeos, quos ut omnino falso HARDVINVS, in *Opp. Sel.* p. 905,
a Studio legis dictos arbitratus est, nomen hoc deriuans a שׁוֹמֵר *qui,* שׁוֹמֵר
delectatus est, et שׁוֹמֵר *lex.* Nam omni ueritatis specie carent, siquidem
Schachducaei hac ratione scribendi essent, non Sadducaeii, deinde, ut, nomen
eos accepisse ab auctore sectae, max diceretur, sic recte eos descripsit b. CALOVIUS,
in *Bibl. Ill.* ad *Matth.* III, 7, inquit, Sadducaeii *originem et nomen habent*
a Zidoco, qui, cum Baithoso, a quo Essaei orti, commilitone, Antigoni praece-
ptoris, qui 300 annis ante Christum uixit, dicto, quod in *Pirke Aboth* cap. I,
habetur, Nec estote, sicut qui seruiunt Domino propter mercedem, falso
intellecto, concludebant. Si non seruiendum spe retributionis, nullam fore mor-
tuorum

tuorum resurrectionem, ut e R. SAL. IARCHI, R. MAIMONIDE, aliique docet Hottingerus Theol. Phil. p. 34. Adde MEN. BEN. ISRAEL de Resurrectione mortuorum. lib. I, c. 6, 7, ac porro animarum immortalitatem negabant, animam nihil aliud esse, statuentes, quam naturale temperamentum elementorum, quod cum corpore intereat. Vnde IOSEPHVS, lib. XIX Antiquit. c. 2, Sadducaeorum opinio cum corpore simul extinguit et animas. Inficelati adhaec sunt providentiam diuinam, teste IOSEPHO, lib. XIII Antiq. c. 9, lib. II de Bello Iud. c. 11, ideo Epicuræi dicti sunt in libro Iochasia. Negarunt etiam Angelos, Act. XXIII, 8, 9. Quidam, eosdem etiam repudiasse Prophetarum scripta, ac solam legem Moysi admisisse, aiunt, quod tamen restringit DRVSIVS, lib. III de ritibus Sect. c. X, ad Sadducaeos Samaritanorum. At SCALIGER in Elench. Trihaeres. c. XIX, SPANHEMIVS P. III Dub. p. 111, CVNAEVS de Republ. Ebr. p. 476, HOTTINGERVS, l. c. totam eos Scripturam recepisse statuunt. Sadducaeorum, resurrectionem negantium, sectam adhuc hodie Constantinopoli uigere, GENEBRARDVS lib. II Chronogr. p. 248, memorat. Superesse etiam in Italia dicuntur. Id uero Dn. D. MULLERO, in Iudaismo, p. 71, certum est, inter Hispanicos Iudaeos adhuc reperiri Sadducaeos. Quamuis itaque Sadducaei a Zodoco acceperint nomen, doctrina tamen eorum fuit antiquior, exitit enim illa haeresis, antequam existerent Sadducaei, quemadmodum recte hoc obseruauit LIGHTFOOTVS in Hor. Hebr. et Talmud. ad Matth. III, 7, scribens, Dicitur Babil. Beracoth, fol. 54. Ad coronidem omnium orationum in templo dixerunt על עולם seculum. Cum uero irrumperent haeretici, dicerentque, non esse seculum, nisi unum, institutum est, ut diceretur, מן העולם ועד העולם A seculo in seculum. In haec uerba sic GLOSSA, in templo primo non dixerunt, nisi Benedictus Dominus DEVS Israelis in seculum. Cum uero irrumperent haeretici, qui dicerent, non esse seculum praeter hoc, instituit Ezra, et confessus eius, ut diceretur, מן העולם עד העולם A seculo in seculum, ad innuendum, duplicem esse mundum, (hunc et futurum,) ad extirpandam e corde opinionem negantium resurrectionem mortuorum. Aduerte Lector, fuisse, qui resurrectionem mortuorum negarent in diebus Ezrae, cum iam non natus esset Zodok, pater Sadducaeorum. Nam post Ezram eiusque Synagogam magnam, quae per multos annos, Ezra iam mortuo, durauit, sedit, Simon Iustus, Sacerdotio summo fungens, per annos 40, sumque in cathedra Synedriali excepit Antigonus Sochaeus, magister Zadoci. Ita, ut quamuis merito male audiant Sadducaei ob negatam resurrectionem, istaque fuerit eorum praecipua haeresis, fuit tamen ista haeresis, cum non adhuc essent haeretici, qui denominarentur Sadducaei. Hisce igitur a Domino ad silentium redactis, Pharisei,

ut adorirentur eum, congregati sunt una, i. e. in uno eodemque loco. Formula enim scribendi, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, subaudit χῶρον, locum, uti ex exemplis, quae b. RAPHELIVS, in *Not. Polyb.* p. 300, ex *Polybio* collegit, itemque IO. CONRADVS SCHWARZIVS ex *Platone*, in *Commentar. Gr. Linguae N. T.* p. 216, intelligitur, ut tentarent et circumuenirent ipsam, iuxta uersum sequentem, quo palmam, quam Dominus a Sadducaeis deportauerat, interuerterent.

καὶ ἐπηρώτησεν - - καὶ λέγων. Et, postquam congregantes Pharisaei ac Legisperiti conuenerant inuicem de modo Iesum tentandi, et partes suas uni demandauerant, quem prae ceteris idoneum, sapientem, atque eruditum iudicarunt, eumque facile Iesum superatum iri credebant, hic unus ex ipsis, qui ipse audierat Iesum, pulchre Sadducaeis respondentem, accessit ad eum, iuxta *Marc. XII, 28*, et interrogauit, non bona mente, ut disceret et sapientior fieret, erat enim *Legisperitus*, siue ut *S. Marcus* habet, εἰς γραμματέων, unus ex *Scribis*, de quibus uid. nostra de ספרים *Dissertatio*, adeoque certe doctissimus, sibi que sapiens, sed animo astuto et pessimo, ut tentaret eum, more parentis sui, *Matth. IV, 3*, in perniciem Domini, ab hoc autem ueritate responsionis adeo conuictus, ut ueritati cedens melior discederet, uti ex *Marci*, cap. XII, 32, colligere licet, scribentis, *Et ait ipsi Scriba. Pulchre, Magister, iuxta ueritatem dixisti, quia unus est DEVS, et non est alius praeter eum, et diligere eum ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex totis uiribus, et diligere proximum, sicut se ipsum, plus est holocaustis et sacrificiis. Et uidens Iesus, quod sapienter et sincere respondiisset, dixit illi. Non longe es a regno DEI.* Hinc uolunt nonnulli inferre, γραμματέα illum, siue νομικόν, intentione bona accessisse ad Iesum. At, si circumstantias, et uocem περιέλεω expendamus, quatenus de Pharisaeis et Legisperitis illa, inter quos et ille fuit, in sacris praedicatur, et denique quaestionem captiosam, bona intentione eum accessisse non uideretur, quamuis non negemus, id eidem accidisse, quod aliis euenit, qui contra Iesum insurrexerunt malo animo, sed meliori ab eo recesserunt, conf. *Iob. VII, 32*, coll. 45, 46, *Aët. IX, 1*, seqq. Ceterum noverit, quod grauitur, et contra omnem antiquitatem errent illi, qui cum TRIGLANDIO in *Diatriba de Karaeis*, νομικούς, seu γραμματέας, in festis referunt, uid. quae ad u. 4 *Euang. in Festo Epiph.* notauimus, quorum tamen nomen dignitatis et muneris erat. Quo sensu apud profanos etiam uox νομικὸς occurrit, ut ΕΠΙΣΤΕΤΥΜ, *lib. I, c. 23*, scribentem, ΑΛΛ' οὐδὲ νομικὸν τινα παρῆλαβε πώποτε, τὸν ἐροῦντα αὐτῶ καὶ ἐξηγησόμενον τὰ νομικά. Sed neque legisperitum aliquem sibi inquam adiunxit, qui ipsi diceret et interpreta-

preta-

pretaretur quae legis sunt. Ex quo apparet loco, quis sit νομικός, legisperitus nimirum, qui legem interpretari possit. Atque ex horum ordine cum esset noster, qui Iesum tentavit, legalem quoque ei proposuit quaestionem, et blanda speciosaque uoce eum allocutus est, *dicens*,

Διδάσκαλε, -- ἐν τῷ νόμῳ; *Doctor*, blanda et honorifica uox, sed hypocritica, Rom. III, 13, conf. quae ad u. 25 *Euang. Domin. XIII, Post Trinit.* sunt dicta, *Doctor*, ait, Sadducaeos conuicisti, quod sit resurrectio mortuorum, me nunc doce quaestionem ex lege sequentem, *quodnam mandatum magnum in lege?* Ad quae uerba duo potissimum notanda sunt. Alterum, quod νόμος, h. l. sumatur generice et collectivè pro toto legum in Republica Israelitica tum diuinitus, tum humana auctoritate, latarum complexu, atque huiusmodi leges, siue, ut legisperitus noster uocat eas, *mandata*, numerabant Iudaei 613, quas distinguunt in affirmatiuas, quae agenda praecipiant, et in negatiuas, quae omittenda prohibent. Illorum sunt 248, iuxta numerum ossium in corpore humano, quorum singulis singula sua praecepta sint accommodata, horum uero sunt 365 iuxta numerum dierum in anno solari. Captiosa itaque hac quaestione circumuenire studuit Sospitatorum optimum fraudulentus ille. Cum enim Iudaeorum doctores inuicem non convenirent, quodnam in hoc ingenti legum numero sit praecipuum et primum praeceptum, alii enim legem de circumcisione, alii de Sabbato, alii de sacrificiis, primum esse, propugnabant, procul dubio ille coniciebat, quod Dominus, ad quaecumque partem is accederet, aduersariorum sese exponeret periculo, qui pro uicili eum aggressuri essent. Sed ut Dominus ridet hominum consilia, Ps. II, 4, eaque confundit, Ies. IIX, 20, sic ex sequentibus apparet uersibus, ipsum uicisse, et Legisperitum palmam Domino concessisse. Alterum est, quod positius pro superlatiuo, μέγιστος, sine Ebraismi suspitione sit adhibitus, siue, ut S. Marcus habet cap. XII, 28, πῶτα πρώτη πασῶν ἐντολή; *quodnam primum est omnium mandatum?* Conf. quae infra ad uersum 38 sunt notata.

ΠΡΟΣ ΟΙΚΕΙΩΣΙΣ

Imprudentes homines, qui, licet uideant, quod diuinam atque aeternam ueritatem Io. XVII, 17, 1 Petr. I, 23, 24, 25, nemo opprimere possit, Ps. II, 2, seqq. Matth. XXII, 33, 46, Act. VII, 10, tamen audent aduersus κέντρον λακτί-ζεν, Act. IX, 5, nec ex aliorum exemplis sapere uolunt.

C 3

II Cor-

II Contra Christum eiusque regnum et membra cum res agitur, satanae ministri, in angelos lucis sese transformantes, consentiunt et certamen repetunt, *Luc. XI, 18, 2 Cor. VI, 14, seqq. XI, 14, 15, Herodes et Pilatus coeunt, et in gratiam redeunt, Act. IV, 26, 27. Noli ergo mirari, uel animum abiicere, quando et in te coniunctis armis insurgunt, Matth. X, 25, Luc. XXIII, 31, Io. XV, 20, sed decerta pro uirili, 1 Tim. I, 18, VI, 11, 12, 2 Tim. IV, 5, 7, 8.*

III Impios de hoste superato non tam gaudere, quam inuidere, quando is qui deuicit eum, exosus fuit ipsis, eoque contendere, ut palmam interuertant, Christi et Pharisaeorum exemplo edocemur.

IV Noli fidere linguae blandae, quo blandior illa est, eo periculiosior, *Rom. III, 13, 18, quo maiore excipit ueneratione et titulo, eo alacrior illa est ad uulnera tibi infligenda, Matth. XXII, 16, seqq.*

V Ne sis praiceps in respondendo ad quaestiones. Saepe enim proponuntur quaestiones, quibus non erudiri, sed te circumuenire, uolunt quaerentes. Hinc prudens sis sicut serpens, et ἀκέραιος, sicut columbae, *Matth. X, 26.*

VI Sincere, non astute, loquaris cum proximo, *Pf. XV, 1, seqq. Matth. XXVI, 49. DEVS enim uidet occulta cordis tui, teque aliquando iudicabit, Rom. II, 16, 1 Petr. III, 10, seqq. Hebr. IV, 13.*

VII Quamuis omnia DEI mandata sint magna et exsequenda, tamen eorum alia aliorum sunt fundamentum et maxima, conf. ad uersus seqq. Εξήγ. et προσοικ.

III Hypocritae quidem alta sapiunt, et nimium sibi tribuentes, de magnis suis operibus multum iactant, *Matth. XIX, 20, XXIII, 5, 23, Luc. XIII, 11, 12, licet nulla sint, Ies. LXIV, 6, Matth. V, 19, 20, Rom. II, 21, seqq.*

IX Utinam, ne Legis peritorum Iudaicorum spiritus atque ingenium in nostris cernerentur, qui multum de fidei et legis quaestionibus quaerunt, sed non faciunt. O si facerent, quae docent, nec alios docentes ipsi fierent reprobi, *1 Cor. IX, 27.*

Ver-

VERSUS 37 — 39

37 Ο δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· Ἀγαπήσεις
Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ
σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν
38 ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου. Αὕτη ἐστὶ πρώτη
39 καὶ μεγάλη ἐντολή· Δευτέρα δὲ ὁμοία
αὐτῇ· Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, ὡς
σεαυτὸν.

*Iesus autem dixit ipsi. Diliges Do-
minum DEVM tuum in toto cor-
de tuo, et in tota anima tua, et in
tota cogitatione tua. Hoc est pri-
mum et magnum mandatum. Alte-
rum autem simile ei. Amabis pro-
ximum tuum, sicut teipsum.*

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Ο δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ. - - τῇ διανοίᾳ σου. *Iesus autem, in quo omnes
sapientiae thesauri et scientiae erant absco-
diti, Col. II, 3, ipsaque κα-
διογνωσία, Ioh. II, 24, 25, Act. I, 24, Hebr. IV, 13, dixit, i. e. respondit, ei,
Legisperito tentanti sese, et quidem sine admonitione ulla, uel obiur-
gatione quadam, ad interrogantem praemissa, cur tentaret se, pro largani-
mitate et mansuetudine sua, Matth. XI, 29, ut omnes aedificarentur audito-
res, et instruerentur in ardua hac quaestione. Diliges, Futurum pro modo
imperandi, vid. Vindic. cit. p. 252, seqq. intelligitur uero dilectio ἀνοπό-
κρευτος, quae cum ex uerae fidei fonte proficiat, et iuxta legem sit normata,
tum externe sese erga proximum et se ipsum exerat operibus. Nisi enim
dilectio proximi obseruetur, neque dilectio DEI uera esse potest, 1 Io. IV, 20,
Addit ergo Seruator dilectionis uerae erga DEVM requisita, inquiring,
Diliges Dominum DEVM tuum, vid. quae de his uerbis ad u. 27 Domin.
XIII post Trinit. diximus in et cum toto corde, h. e. totum cor nostrum DEO
dedicari debet, nec una cordis pars DEI, altera autem mundi, dilectione
impleri, Matth. VI, 24, 2 Cor. VI, 14, seqq. 1 Io. II, 15, sed totum flagrare
debet amore erga DEVM, et sicut in toto corde, sic etiam in anima tota,
et in toto animo, dilectio DEI locum habere debet. s. MARCVS, cap. XII,
30, habet. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ
ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, quibus exprimendi
modis Legisperitus quidam usus est quoque apud S. Lucam, cap. X, 27,
uid. horum uerborum expositio supra ad u. 27 Euang. Domin. XIII post
Trinitat. atque hic repetatur. Ceterum notetur, quod locutiones, ἐν ὅλῃ
τῇ καρδίᾳ, et, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, non sint inuicem aduersativae, sed
Synonymicae et explicativae, qualitatem amoris formalem erga DEVM
exponentes. Quod enim in et cum toto corde amamus, id etiam ex corde
toto amamus, et uice uersa, adeoque summum et perfectum his scribendi
modis*

modis indicari amorem intelligit quilibet, prout etiam supra ad u. 27 *Euan- gel. Domin. XIII post Trin.* ostendimus. Hoc autem praeceptum cum ser- uatu sit impossibile, DEVS Filium suum misit, ut pro nobis id adimple- ret, *Rom. IIX, 3, 4.* Pontificii quidem contrariam defendunt sententiam at- que seruatu possibile esse sibi persuadent, sed tum factis, tum uerbis, sibi sunt contrarii, suamque hypothesin confirmant ipsi, ut ex CORNELII A LAPIDE assertio intelligitur, scribentis ad hunc locum nostrum, *Nota contra Calu- num et haereticos, hoc DEI praeceptum cuius homini seruatu esse possibile, non enim praecipitur hic totus, uel summus, amor DEI extensue aut intensue, sed tantum comparatiue, finaliter, et appetitiue. Diliges ergo DEVM ex toto corde, siue ex tota anima et mente, idem est, ac si dicat, Diliges DEVM ex tota uoluntate tua, scilicet, primo comparatiue, ut nullam partem amoris tui des idolo, aut rei cuiquam DEO contrariae. Secundo finaliter, ut gene- ratim uelis, DEVM esse finem totum et ultimum omnium tuarum cogitationum, actionum, et amorum, ipsumque, ut summum bonum finemque ultimum, rebus omnibus praeseras et anteponas, ac consequenter tertio, appetitiue, ut nihil ita aestimes, tantoque loco et pretio habeas, quanto habes DEVM, ac proinde ut totum cor, id est, uoluntatem applices, ut tota et omnia eius praecepta impleas, eique per omnia obedias, etiamsi propterea opes, honores, famam, ami- citiam, uitamque ipsam perdere debeas. Vnde, quod dicitur, ex toto corde, alibi dicitur ex corde integro et perfecto. Hinc illud toties iteratum. Cor eius perfectum erat cum DEO. Incessit in omnibus mandatis Domini. Secutus est Dominum in toto corde suo, faciens, quod placitum esset, in conspectu eius, cet. 3 Reg. XIV, 8. Vbi enim inueniendi sunt illi, qui DEVM ament ex tota uoluntate, nec ullam partem amoris sui dent idolo, aut rei cuiquam, DEO contrariae, cum nemo sanctorum sit sine culpa, sed omnis ho- minis cogitatio mala a pueritia, *Gen. VI, 5, IIX, 21,* praetereaque Pontificii dent partem amoris sui sanctis, suis operibus, aliisque DEO contrariis. Quando autem in scriptura sacra hominibus sanctis adscribitur perfectio cordis et integritas, id non tribuitur iis propterea, quod DEVM ex tota uoluntate ament, sed propter fidem in Christum. Pontificiis accessisse GRO- TIVM non tantum, sed etiam in eo errauisse, quod DEVS paucis quibus- dam selectis spiritum suum praescis illis temporibus dederit, in nouo au- tem foedere omnibus foederatis suis, h. e. in filium suum credentibus, du- dum ostendit b. CALOVIUS in *Bibl. Ill. ad h. l.* scribens, *In eo autem gra- uius hallucinatur, imo haeresi papisticae et Socinianaee accedit GROTIUS, cum sententiam Augustini et aliorum ueterum, quod ea perfectio istis uerbis signi- ficetur, quam in hac uita nemo, post lapsum, habuerit, aut habere potuerit,**

repræ-

reprobat, et legem tantum amorem istum uelle praestari pro uiribus, et quantum potest homo, Pelagianis uelificaturus statuit, siquidem lex illa longe perfectissimum amorem postulat, omnibus partibus, omnibusque numeris, absolutum, qualis a nemine praestitus est, nec praestari potuit. Exempla enim, quae in contrarium afferuntur, Dauidis, 1 Reg. XIV, 8, et Iosiae, 2 Reg. XXIII, 3, non continent illa omnia, quae lex requirit. De Dauide dicitur tantum, quod, ἐν πάσῃ τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ ἐπορεύθη ὀπίσω Θεοῦ, ambularit post DEVM in omni corde suo, de Iosia additur, καὶ ἐν πάσῃ ψυχῇ. De nemine tertium simul additum, ἐν τῇ ὅλῃ τῇ διανοίᾳ αὐτοῦ, cum illo auctoramento, ἐξ ὅλης δυνάμεως, uel τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, neque cuiquam tantus DEI amor, sed conatus tantum sequendi ea ratione DEVM, ex toto nempe corde et tota anima, hoc est, sincerum et ἀνυπόκριτον pietatis studium, tribuitur. Quod DEVS non tantum paucis quibusdam selectis, aut ex peculiari solum gratia, priscis temporibus, concessit, ut Grotius praedictos haereticos secutus opinatur, sed communiter renatis omnibus, omni tempore, indulget, qui Spiritus S. gratia DEO ex puro corde seruiunt. Nam illud ex ὅλης, uel πάσης, καρδίας idem esse, quod ἐκ καθαρᾶς καρδίας, 1 Tim. I, 5, i. e. corde integro atque sincero, agnoscit Grotius. Qua ratione DEO seruire, DEVMque amare, omnibus conuenit fidelibus, seu Vet. seu Noui Testamenti tempore uixerint, aut uiuant.

Αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή. Hoc, de amore erga DEVM, (qui est, et esse debet summum ac primarium obiectum dilectionis humanae, utpote generis humani Creator, Conseruator, et Pater, quo respectu nemo maior esse potest, quem maiori profequantur amore homines, cum maiora beneficia in eos contulerit nemo, nec aliquis sit, qui magis eos amauerit, Iob. III, 16, Iac. I, 17, 18, 1 Io. IV, 9, 19, quam ipse DEVS. Cum ergo DEVS summum amoris humani sit, et esse debeat, obiectum, summus etiam ipsi debetur amor.) est praecipuum primum, cui aliud anteferendum est nullam, ideoque et magnum, κατ' ἐξοχήν, siue maximum, est, quo maius mandatum datur nullum. Atque eiusmodi scribendi genera, quae ἐξοχικῶς sunt explananda, siue, ut alii loqui malunt, quae per graduum enallagen, qua postuius pro superlatiuo ponitur, sunt exponenda, in profanis quoque scriptoribus obseruantur. Sic enim Placo etiam in Phaedro, p. 1222, B. Iouem uocat magnum, i. e. summum, ducem in coelo, scribens, Ο μὲν δὲ ΜΕΓΑΣ ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, πτηνὸν ἄρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται, διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος. MAGNVS equidem, i. e. MAXIMVS et SVMMVS dux in coelo Iupiter, curram alatum conscendens primus proficiscitur, exornans cuncta et prouide disponens. Vid. plura in Vindiciis N. T. p. 243, seqq. Coniunxisse

D

autem

autem uidetur Dominus utrumque terminum, πρώτη, qui ipse est superlatius, et μεγάλη, qui ἐξοχικῶς sumi solet, quia uterque eo sensu ueteribus sumebatur, et synonymice permatabatur, nonnunquam etiam coniungebatur, emphaseos causa, ut omne partim huius praecepti pondus ac uim demonstraret, partim uero, ut omni exceptioni occurreret, quam alii forte ex distinctione inter πρώτην et μεγάλην elicere potuissent.

Δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ -- ὡς σεαυτὸν. Alterum autem praeceptum, quod secundae tabulae decalogicae caput et fundamentum est, a quo omnia reliqua huius tabulae praecepta pendent, imo, ex quo cognosci possit, utrum primae tabulae praeceptum fundamentale aliquis obseruet, 1^o Io. IV, 20, simile est illi, ratione principii, uterque enim ab uno eodemque legislatore proficiscitur, ratione mandati, unus idemque homini demandauit utramque legem, ratione obligationis, ad utrumque enim homo faciendum obligatur, ratione finis, utrumque enim ad gloriam DEI tendit, et de obedientia nostra testatur, et denique ratione durationis, utrumque enim in altera quoque uita durabit, 1^o Cor. XIII, 8, non uero ratione obiecti, cuius respectu illud tanto maiorem habet praerogatiuam, quanto maior DEVS est creatura, infinitum finito, independens dependente, cet. neque ratione identitatis, cum DEVS utique ut Creator, Pater, et Conservator, proximus autem ut frater considerandus sit, hinc illum supra omnia, hunc uero, sicut nosmet ipsos, amare iubemur, siue ut uerba Christi fluunt, Diliges, non hypocritice, externe, et coram hominibus tantum, ut uidearis amans, sed ἀνοποκρίτως, sincere, interne, ut a fide proficiscatur, et externe, ut Pater coelestis glorificetur, Matth. V, 16, et proximus operibus tuis de amore tuo conuincetur, proximum tuum, qui sunt quilibet quidem homines ἕτεροι, Rom. XIII, 8, ne inimico quidem excluso, Matth. V, 44, Rom. XII, 20, gradu tamen differentes. Ii enim, qui sunt a religione nostra alieni, communi amore, qui uero sunt eiusdem nobiscum religionis, fraterno amore sunt prosequendi, Gal. VI, 10, 2^o Petr. I, 7. Ergo hic amor non poscit, ut proximum supra nos, sed sicut nosmet ipsos, adeoque comparatiue, amemus. Atque hinc est istud. Amor incipit a se ipso. Amor enim erga nosmet ipsos, ratione ordinis, est prior omnino, nobisque primum, deinde proximo prospicit, eumque quibusuis modis, et quantum fieri potest, iuuat, ea tamen lege, ne nostro amore erga proximum nobismet ipsis faciamus iniuriam, nosque affligamus 2^o Cor. IX, 12, 13, 14, 1^o Tim. V, 8, hac enim ratione proximum non, sicut nos ipsos, sed supra nos, amaremus. Conf, quae ad u. 27 Euang. Dom. XIII post Trinit. sunt notata.

Εἰ ταύ-

Εν ταύταις ταῖς δὺσιν ἐντολαῖς -- κρέμανται. In his duobus praeceptis, scilicet, de amore DEI et proximi, tota lex Moſis et Prophetarum, i. e. Prophetarum doctrinae, pendet. De uoce κρέμανται uid. Hierocrit. P. III, p. 12. Nihil enim est in decalogo, quod non ab amore DEI et proximi proficiſcatur, ad eum respiciat, et cum eo coniunctum ſit. Hinc recte dixeris duo illa praecepta complexum totius legis ac theologiae moralis et fundamentum. Id quod ipſe Legisperitus etiam, s. MARCO auctore, cap. XII, 32, agnouit, respondens, *Egregie, Doctor, iuxta ueritatem dixiſti, quoniam unus eſt DEVS, et non eſt alius praeter eum. Diligere autem eum ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex totis uiribus, et diligere proximum, ſicut ſe ipſum, plus eſt omnibus holocaustibus et ſacrificiis.* Sed tamen uidentur aſſerto Solpſitatoris contrariari loci, *Matth. VII, 12*, ubi dicitur, *Omnia ergo, quaecumque uolueritis, ut faciant uobis homines, eadem et uos facite ipſis. Haec enim eſt lex et Prophetarum, ſiue in eo conſiſtunt lex et Prophetarum, itemque Rom. XIII, 8, Gal. V, 14.* Abſit hoc. Sei uator enim et Apoſtolus de ſecunda tantum tabula legis, ſiue de amore proximi, in locis cit. agunt, ut ex *Rom. XIII, 9*, patet, deinde nullibi adieſta legitur uox ὅλος, ut h. l. ſed νόμος ſolum dicitur, quae de ea legis parte, ſiue tabula, accipi debet, de qua ſermo eſt. Poſtremo, ſi quis etiam contenderet, oracula diuina de tota lege accipienda eſſe, non tamen noſtro ea aduerſarentur, ſiquidem, cum amor DEI adeo coniunctus ſit cum amore proximi, ut ille uerus non ſit, niſi hic ſimul aduerſerit, *1 Io. IV, 19, 20*, facile intelligeretur, quod ille non excluderetur, ſed praſupponeretur et comprehenderetur, atque ex amore proximi iudicandum eſſet, amorem DEI etiam in tali ſubiectio aſſe. Addit denique s. MARCVS, c. XII, 34, quod adeo ad incitas redacti fuerint Phariſaei et Scribae, ut eorum nemo amplius, tum temporis, *auderet eum inſidioſe interrogare.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι Σ

- I Hoc tene, quod ueritas tandem uincat. Licet enim prematur nonnunquam, tamen non opprimitur. Quare proficere eam, ac manſueto ſpiritu, Chriſti exemplo, iuxta *προσοικ.* ſeq. expone interrogantibus, etiamſi te circumuenire et opprimere uelint, *1 Petr. III, 13, ſeqq.*
- II Vbi maſueto ſpiritu aduerſarii conuinci poſſunt, ibi obiurgationes ceſſent, *Matth. XI, 29, 2 Tim. II, 24, ſeqq. 1 Petr. III, 8, 9, 16*, et amoris longanimitas praeualeat, *1 Cor. XIII, 4, ſeqq.*
- III Agnoſce homo tuam impotentiam legem implendi, *Rom. IIX, 3*. Non enim ſufficit, ut amorem erga DEVM hoc illoue opere externo, uel ore, coram hominibus demonſtres, *Ieſ. XXIX, 13*, ſed ex toto corde, ex toto animo,

mo, et ex tota uoluntate eum amare te oportet, *Deut. VI, 5, Luc. X, 27*, tuumque proximum, sicut te ipsum, *Leuit. XIX, 18*. Inquire ergo, utrum tu sis ille, qui de se hoc praedicare possit? *Gen. VI, 5, IIX, 21, Iob. XIV, 4, Pj. LI, 7, Ies. LXIV, 6, Rom. VII, 24.*

IV Licet DEVM tanto amore profequi ipse non possis, quantum lex a te requirit, desperare tamen ideo noli, sed partim DEI amorem respice, qui te prius, et adeo quidem, amauit, ut filium suum pro te daret, qui tuo loco amoris legem adimpleret, *Io. III, 16, Rom. VIII, 3, Tit. III, 4, 5, 1 Io. IV, 9, 10, 16*, partim eo contende, ut amore erga DEVM et proximum magis magisque crescas, *1 Cor. XIII, 1, 1 Io. IV, 11, 19, 20*, a peccatis uero, quibus amor DEI et proximi offenditur, abstineas, *Rom. VII, 12, seqq. Eph. IV, 22, seqq. Col. III, 5, seqq.*

V Quo maiora sunt praecepta diuina de amore, eo maiora quoque sunt peccata, quae contra illa committuntur. Pro uirili ergo piae animae eo allaborent, ut amore erga DEVM et proximum flagrent, *1 Cor. XIV, 1*, et in dies crescant, iuxta *προσοικ* anteced.

VI Noli tibi persuadere, te DEVM et teipsum amare, nisi proximum ama-ueris, *1 Io. IV, 19, 20*. Amor enim est uinculum, quod nos cum DEO et proximo coniungit, *1 Cor. XIII, 1, seqq. Col. III, 14, 1 Io. IV, 7, seqq. 16, seqq.* Plura, quae hic afferri possent, uid. ad u. 27 *Euang. Dom. XIII post Trinit.*

VII Discce, quod duo illa praecepta, amor DEI et proximi, sint complexus, fundamentum, et epitome omnium praeceptorum djuinorum nostrarumque actionum, haec si obseruaueris, uel rectius, si obseruare posses, conf. *προσοικ. III, seqq.* totam legem implere posses. Amor enim est legis impletio, *Rom. XIII, 10.*

IX Vt in doctrina Lex et Prophetae consentiunt, sic in utroque etiam sacro Foedere nullus doctrinae est dissensus, sed quae lex et Prophetae docuere de amore DEI et proximi, *Deut. VI, 5, Leuit. XIX, 18, Mich. VI, 8*, eadem quoque Seruator et Apostoli docuere, conf. *προσοικ.* antecedentes.

VERSUS 41—43

41 Συνηγμένων δὲ τῶν Φαρισαίων, ἐπηρώ-
42 τησεν αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, λέγων. Τί
ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; τίνος υἱός
ἐστὶ; Λέγουσιν αὐτῷ. Τοῦ Δαβὶδ.
43 Λέγει αὐτοῖς. Πῶς οὖν Δαβὶδ ἐν
Πνεύματι Κύριον αὐτὸν καλεῖ, λέγων.

Congregatis autem Pharisaeis, interro-
gavit eos Iesus, dicens. Quid uobis ui-
detur de Christo; Cuius filius est. Di-
cunt ipsi. Dauidis. Dicit ipsis. Quo-
modo igitur Dauides in spiritu Do-
minum ipsum uocat? dicens.

ΕΞΗΓΗ

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Συνηγμένων δὲ τῶν Φαρισαίων, - - λέγων. *Congregatis autem Phariseis posthaec in templo, uti expresse hoc significauit s. MARCVS, cap. XII, 35, Posthaec respondens Iesus dixit, docens in templo, non ergo in eadem domo haec res gesta fuit, in qua Dominus a Legisperito tentatus fuit, ut nonnullis interpretibus est visum, in quibus AVCTORES Synopsos Starkianae quoque sunt, scribentes, Da sie sich während der Zeit, da der Schriffigelehrte mit Iesu von dem vornehmsten Gebot geredet, vollends eingefunden, und unter sich abgeredet hatten, mit gesamter macht an ihn zusetzen, sed, ut s. MARCI auctoritate innixi diximus, in templo, interrogauit eos Iesus, docens ibidem, et sine dubio occasionem quandam nactus hanc quaestionem proponendi grauissimam saluberrimamque, eo fine, ut altius doctrinam de Messiae expenderent persona eiusque regno, quod ille quidem sit uerus homo, sed simul etiam uerus DEVS, adeoque θανάθρωπος, et quod eius regnum non esset mundanum, quae falsa et praedudicata Iudaeorum erat opinio, Luc. XXIV, 21, Act. I, 6, sed spirituale et aeternum, Ies. IX, 6, 7, Dan. VII, 4. Interrogans igitur eos ueritatem edocere uult, dicens.*

Τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ; - - τοῦ Δαβὶδ. *Quid uobis, qui doctores estis, ideoque τέλειοι esse debetis, Hebr. V, 14, et facile ad quaestionem meam respondere poteritis, uidetur, proferatis uestram sententiam, de Christo, promisso illo Messia? De quo, ut salutis petra, et Israelis Redemptore, Ies. XXIIX, 16, LIX, 20, omnes uaticinati sunt Prophetae, maioresque uestri eius aduentum anxie expectarunt, Gen. IV, 1, XLIX, 10, 18, Ps. II, 6, 7, XIV, 7, CX, 1, seqq. Ies. IX, 6, 7, LX, 1, seqq. Ier. XXIII, 5, 6, Ez. XXXIV, 23, 24, Dan. VII, 13, 14, IX, 24, seqq. cet. Cuius filius est ille? i. e. ex cuius posteris est ille? Numne Dauidis solum, adeoque nudus homo, an etiam Filius DEI, Ps. II, 6, adeoque uerus DEVS? 1 Chron. XIIX, 17. Quae quaestio ut facilis uidebatur ipsis, sic faciles etiam erant in respondendo. Respondent enim ipsi, Dauidis, et quidem recte, si humanam eius naturam spectemus, iuxta quam Christus est ex patribus, Rom. IX, 5, sigillatimque ex posteris Dauidis, Rom. I, 2, prout ipse DEVS hanc promissionem Dauidi dederat, 2 Sam. VII, 12, 13, eandemque per Prophetas suos toties repetierat, Ies. IX, 6, 7, XI, 1, 2, Ier. XXIII, 5, 6, Hof III, 5, cet.*

λέγει αὐτοῖς - - λέγων. *Dicit, siue reponit, ipsis Dominus, ut eos conuinceret, etiamsi enim uera esset responsio, non tamen plena et perfecta, cum Messiam saltem secundum alterutram, scilicet humanam, non secundum utramque, denominassent, eoque ipso prodidissent, se non satis de persona Messiae edoctos esse, argumentans, Quomodo ergo, si ex Dauidis saltem po-*

iteris, ut uos asseritis, adeoque homo, est Messias, in Spiritu, scilicet Sancto, ut hanc ellipsin suppleuit s. MARCVS, *cap. XII, 36*, h. e. *per Spiritum S. suus a Spiritu S. agitur*, 2 Sam. XXIII, 2, 2 Petr. I, 21, uid. de hoc uoculae ev significati *Vindiciae*, p. 151, S. III, *Dominum suum ipsum uocat*. Ad quae uerba notentur tris, primum, quod falsus sit IO. MASSONVS, qui in *Histor. Crit. et reipubl. Lit.* p. 89. propugnat, dictionem, ev πνεύματι, *spiritualiter, in sensu mystico*, significare. Alterum, quod ueteres Iudaei Dauidem Psalmi CX, ad quem Dominus prouocat, habuerint auctorem, ut recte obseruauit GROTIUS, ad h. l. scribens, *Scriptorem Psalmi CX Dauidem nominat, nunquam id sibi sumpturus, nisi id tum fuisset extra controuersiam. Et sane ἐπιγραφήν ipsis Hebraeorum codicibus est כומר לררר, quod uel solum sufficere debeat, ne Eliezer, aut aliquis Ezechiae temporum, scriptor eius hymni crederetur. Ut enim demus, titulos ab ipsis scriptoribus non additos, tamen, antiquissimos esse, constat, quorum nunc fidem conuellere non argumentis ullis, sed animi lubidine, hominum est contentionis studio insanientium. Illud לררר Septuaginta interpretari solent τῷ Δαβίδ, sed aliter ceteri Paraphrasiae Hebraeique ipsi, qui etiam in Psalmorum inscriptionibus, tum aliis multis in locis ea significatione accipiunt, quam nos casu secundo exprimimus. Et sane, si aliter interpretemur, nullus erit Psalmus, qui sit Dauidis, aut certe quem Dauidis esse constet, cum tamen, Psalmos plurimos, et quidem eandem habentes ἐπιγραφήν, a Dauide scriptos, ipsi quoque fateantur. Conf. quae GROTIUS ad Pl. CX attulit sibi ex parte aduersus. Tertium, quod ex hoc loco intelligatur, ueteres Iudaeos hunc Psalmum de Messia accepisse, quamuis hodierni Iudaei, Sociniani, aliique, id ἀποκατακρίτως negent. Ne uero Iudaei ipsam Sospitatoris objectionem in dubium uocarent, eam idem probat Scripturae S. speciatimque Psalmi Dauidici allegati, auctoritate, cuius uerba in sequenti uersu Dominus ipse recitat, dicens.*

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I Beatae congregationes, in quibus Iesus simul praesens est! Est uero ipse in omnibus illis praesens, quae in nomine eius instituuntur *Matth. XIII, 20*. Noli ergo congregationes sanctorum deserere, *Hebr. X, 25*.
- II Bene iis, quos Christus in regno gratiae de agnitione sui interrogat. Hic enim tempus adhuc est eum saluifice agnoscendi, Hoc negligere noli, *2 Cor. VI, 2*. Hoc enim in regno nisi agnoueris eum, iste nec te agnoscat in illo regno, quod est gloriae, *Matth. VII, 23, X, 32, 33*.
- III Quae stio saluifica de Iesu Christi agnitione, quod is sit uerus DEVS et uerus homo, quod sit noster Dominus, mediator, et redemptor, non tantum

tum omnium est necessaria et utilissima, sed gravissima etiam, quae sine uerbo DEI intelligi non potest, *Matth. XI, 27, XVI, 15, 16, 17, Io. XVII, 3, Act. IV 12.*

IV Dices, quod non sufficiat fides saluaturae implicita, siue fides carbonaria, sed explicita requiratur, scire et agnoscere enim debemus Christam, quis sit, *Ies. IX, 6, 7.* Conf. *προσοικ.* antecedens.

V Sola Scriptura S. est lumen, quo nostrae mentis oculi illuminantur ad Iesum Christum uere cognoscendum, *Pf. CXIX, 105.* Extra hanc cognitio nulla. Hanc ergo scrutare, huic attende, donec in te exoriat phosporus Iesus Christus, *Io. V, 39, 2 Petr. I, 19.*

VI Scriptura S. eo ipso, quando, sibi aduersari, uidetur nobis, ad ueritatem nos ducit, nosque admonet, ut scrutemur eam tamdiu, donec illuminemur, certique fiamus de ueritate, Conf. *προσοικ.* anteced.

VII Scriptura S. non homines, sed Spiritum S. habet auctorem, qui per *θεοπνεύματος* locutus est, *2 Sam. XXIII, 2, Act. II, 4, 2 Tim. III, 16.* Hinc infallibilis eius est ueritas, quae a Spiritu ueritatis originem habet, *Io. XVI, 13, XVII, 17.*

IX Licet ignaris nonnulla uideantur in Scriptura S. contradictoria, tamen non sunt, sed apparent saltem. Veritas enim *Io. XVII, 17,* sibi contradicere non potest. Conf. ad uersus seqq. *προσοικ.*

VERSUS 44 — 46

44 Εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ὡς ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. Εἰ οὖν
45 Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν Κύριον, πῶς υἱὸς
46 αὐτοῦ ἔστι καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο αὐτῷ ἀποκριθῆναι λόγον, οὐδὲ ἐτόλμησέ τις ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτῆσαι αὐτὸν οὐκέτι.

Dixit Dominus Domino meo. Sede a dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si igitur Dauides uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Nemo autem poterat ei respondere uerbum, neque ausus fuit aliquis ab illo die interrogare ipsum amplius.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

Εἶπεν ὁ Κύριος - - τῶν ποδῶν σου. - *Dixit promittendo Dominus, uerus ille et unus* *Πηη* *Deut. VI, 4, Ies. XLII, 8, Pf. CX, 2, Messiae, quem de substantia sua ab aeterno genitum, eumque in tempore missam, ut nasceretur homo, constituit Regem in monte Zion, Pf. II, 6, 7, Luc. I, 31, seqq. Io. I, 14, III, 16, VI, 39, 40, 65, 69, Gal. IV, 4, 5, et Domino meo, θεανθρώπου, Act. XX, 28, Rom. IX, 3, ad tempus exinanito, post passiones uero exaltando, Matth. XXII,*

XXIIX, 18, Act. II, 29, seqq. Epb. I, 17, seqq. Phil. II, 5, seqq. Ebr. I, 2, seqq. II, 7, seqq. *Sede*, non localiter, DEVS enim non est corporeus, qui dextram aut sinistram habeat, sed maiestaticè, Hebr. I, 3, neque qua diuinam naturam, respectu cuius nulla datur παραλλαγή, ἢ τροπῆς ἀποκρίασμα, Iac. I, 17, hinc ipsa nec exinaniri, nec exaltari, potuit, sed qua humanam naturam exaltandam, (ut rectè AVGVSTINVS in Pl. CX observauit, scribens, *Ergo et eo ipso, quod carnem accepit Christus, quod in carne mortuus est, quod in eadem carne resurrexit, quod in eadem carne ascendit in coelum, et sedet ad dextram Patris, et in eadem ipsa carne sic honorata, sic clarificata, sic in coelestem habitum commutata, et filius est David, et Dominus est David. Secundum hanc enim dispensationem transitus Christi etiam illud ab Apostolo dicitur. Propter quod illum exaltauit a mortuis, et donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum. Donauit, inquit, ei nomen, quod est supra omne nomen, Christo secundum hominem mortuo, Christo secundum carnem resurgenti, ascendenti,) a dextris meis, per enallagen numeri pluralis pro singulari, uid. *Vindiciae*, p. 229. seqq. prout singularis etiam in Ebraicis, itemque Rom. IIX, 35, Epb. I, 20, Col. III, 1, 1 Petr. III, 22, Ebr. X, 12, et alibi legitur. Denotatur uero hac locutione, s. PAVLO interprete, 1 Cor. XV, 25, regnare, siue maiestaticè dominari omnibus creaturis, quae in coelis atque in terris sunt, Matth. XXIIX, 18, Phil. II, 7, donec posuero hostes tuos, tum corporales, quo referendi sunt omnes, qui Christo eiusque doctrinae aduersantur, nec, eum sibi dominari, uolunt, Luc. XIX, 14, tum spirituales, quo referenda est omnis spirituum infernalium caterua, ipsaque mors, hostis ultimus, 1 Cor. XV, 26, scabellum pedum tuorum, qua metaphorica locutione, hostium plenaria et ignominiosa indicatur subiectio, quae s. PAVLO interprete, 1 Cor. XV, 24, eneniet, cum Patri suo regnum gratiae traditurus est in consummatione seculi.*

Εἰ οὖν Δαβὶδ - - πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστὶ ; Si igitur, ut uos, subsumit Dominus, non plene personam Messiae describentes, dicitis, *Dauides uocat eum Dominum*, qui fuit ante et post Dauidem, Mich. V, 2, Io. IIX, 58, qui fuit eius Creator, Io. I, 3, Conseruator, Hebr. I, 2, 3, atque Redemptor, Ps. XIV, 7, *quomodo filius eius est?* qui post tot secula ex posteris eius nasciturus esset, 2 Sam. VII, 12, seqq. siquidem dominus, et is, qui domino subest, eodem tempore uiuere debent. Porro Dauides erat Rex, qui nulli alii erat subiectus, et consequenter dominus αὐτοκράτωρ, quomodo ergo filium suum uocare potest Dominum, adhaec pater est filii dominus ex diuina institutione, nec patres filios suos dominos appellant. Quomodo haec inuicem consistere possunt?

possunt? Quomodo ergo Messias, Davidis Dominus, filius eius esse potest? Nullus enim Filius, scribit b. BACKIVS ad h. l. est dominus sui patris, Messias est filius Davidis, ergo non est sui Patris Dominus, nec naturale, nec aequum, nec etiam usu receptum est, ut patres suos liberos, aut nepotes, et posteros dominos appellent, obstat enim quartum praeceptum, quo non parentes suos liberos, sed liberi parentes, hunc in modum, honorare iubentur, hic enim est ordo diuinus. Honora patrem et matrem. Etiam si Carolus V haberet latius dominium, tamen non esset dominus Maximiliani. MAXIMILIANVS I esset ipsius dominus iure naturae, et quia est prior Rex, inquit, PHIL. MELANCHTHON. Eadem ratio est Iulii Caesaris et Augusti, Davidis et Salomonis. Ius iubet et ratio, patrem praeesse filio. Quidam Dux Venetianus, Laurentius Celsus, A. C. 1361 uoluit quidem, ut pro domino a parente suo, uilioris conditionis homine, agnosceretur, et nudato capite salutaretur, sed renuit parens, caput tectum retinens etiam tunc, quando filio obuiauit. Ne itaque auctoritatis aliquid decederet Duci, ex Consilio Senatus Venetiani mirrae Ducis in fronte aureum crucis signum affixum est, quod ubi uidit parens, caput quidem nudauit, sed addidit tamen, non tibi Duci, (filius enim adhuc es meus,) sed sanctae cruci. Iam uero David Rex potentissimus, et multarum gentium domitor, neminem facile dominum agnouit. - Salomon Rex quidem creatus est uiuo patre, sed David eum nunquam uocauit, uel agnouit, dominum. Cur ergo Dominum suum dixit illum, qui post 1043 annos ex sua prosapia oriundus? praesertim cum hic agatur non de inani titulo, sed de reali dominio, et quidem tali, ut dicat David, talem suum filium Dominum esse, qui resideat ad ipsam DEI dexteram, competatque ei ἰσοτιμία καὶ ἰσοθεγία, par potestas et gloria cum DEO Patre. Relata certe sunt pater et filius, dominus et seruus, non autem pater idemque seruus filii. Quid ergo adhaec Pharisei? Tacent illi, quia insolubile uidebatur argumentum.

Καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο αὐτῷ ἀποκριθῆναι λόγον - οὐκέτι. Sed nemo, inter Phariseos, poterat ipsi respondere uerbum, unum, i. e. quicquam, cuius ratio erat, quod Messiam illi pro Principe et Rege mundano haberent. Quae hypothesis falsa utique cum Scriptura S. quam Dominus iis obiecerat, conciliari non poterat, hinc obmutescabant, et quanquam ueritatem scire potuissent, si 2 Sam. VII, 12, 19, Ps. II, 6, 7, locum a Seruatore allegatum, Mich. V, 2, aliosque plures paulo alius expendere, uel a Domino etiam petere, uoluissent grauissimi huius articuli fidei de persona Messiae assertionem, sed cum praeiudicata opinione essent imbuti, et odio aduersus Iesum flagrarent iniusto, tantum illa apud eos ualebant, ut, licet falsitatem suae hypotheseos perspicerent, in errore tamen perseverare mallent, quam ignorantiam suam fateri, et meliorem doctrinam sibi a Iesu expetere, uellent. Tacebant igitur respondendi impotentia adacti, neque ausus fuit eorum aliquis ab illo

ΑΕΟΔΗΙΩΚΟΡΕΙΣΤΟΙΡΤ
E
die,

die, infidiose, prout haecenus quidem saepius fecerant temerario ausu, interrogare ipsum amplius, publice docentem in templo, conuicti, quod partim malitia sua fraudulenta omni careret successu, sibi que cedendum esset Domino, ueritatem docenti, partim quia aliam uiam meditabantur, ut scilicet et armata manu, opprimendi eum, quem argumentis uincere non poterant.

Π Ρ Ο Σ Ο Ι Κ Ε Ι Ω Σ Ι C

- I** Scriptura S. quae ipsa ueritas est, *Io. XVII, 17*, nunquam sibi contradicere potest, sed, quando loci sibi repugnare uidentur, est tantum apparenter talis repugnantia, eamque causatur ignorantia nostra. Quare huic indulgendum non est, sed alius expendenda et scrutanda est Scriptura S. *2 Petr. I, 9.*
- II** Hoc credentes erigit ac confirmat, quod Seruator uerus sit DEVS, et uerus homo ac frater, *Io. I, 14, Rom. IX, 5, 1 Tim. II, 5, 6, III, 16, Ebr. II, 14, 17*, ad dextram DEI exaltatus, *Marc. XVI, 19, Rom. IIX, 34*. Sic enim iuuare, seruare, et ueri potest suos, *Ies. LIX, 1, Matth. XXII, 20, Ebr. II, 18, XIII, 5, 6.*
- III** Cum DEVS sit incorporeus et membrorum expers, *Io. IV, 24, coll. Luc. XXIV, 39*, dextera DEI proprie accipi non potest, sed improprie, siue ἀνθερωποπαθῶς de DEO praedicatur illa, et θεοπροφητῶς, per maiestatem et regnare, est explicanda, ut Paulus fecit, *1 Cor. XV, 25*, et *Ebr. I, 3.*
- IV** En amorem Filii DEI, qui, tua causa caro factus, sese tum exinanuit, *Io. I, 14, Phil. II, 7, 8, Ebr. II, 14, 17*, ut pro tuis peccatis satisfaciens, *Rom. IV, 25, Gal. IV, 4, 5, Tit. II, 14*, tuo loco legem impleret, *Rom. IIX, 13*, tum, qua humanam naturam, exaltauit, ut tu etiam exalteris, *Io. XVII, 24, Phil. III, 21.*
- V** Quamuis hostes Christi, eiusque regni, siue spirituales sint, siue corporei, uid. *Εξήγ.* ei resistent, et ad tempus saeuiant, tamen pedibus eius, scabelli instar, subiiciuntur, et conculcantur, *Pf. II, 1, seqq. Rom. XVI, 20, 1 Cor. XV, 25.*
- VI** Ut praeiudicatae opiniones turbant ac euertunt uitae humanae felicitatem, sic in rebus fidei sunt pestis et saluti aeternae obicem ponunt. Noli iis seruire, sed quauis occasione te iisdem libera, *Phil. II, 12.*
- VII** Disce, quod Iesum agnoscere non possemus, *Matth. XI, 27, XVI, 17, 1 Cor. II, 14*, nisi hoc reuelasset nobis Scriptura S. neque salui fieri, *Io. XX, 31, Act. IV, 12.*
- VIII** Ut ueritati nemo resistere potest, sic nec Scripturae S. quae ueritas est, *Io. XVII, 17*. Ad Scripturam S. ergo confuge, quando hostes fidei te urgent, illa te illuminabit, ne a uia ueritatis aberres, *Pf. CXIX, 105*, illa aduersarios deuincet, *Matth. IV, 4, seqq. Act. VI, 10, Eph. VI, 17.*
- IX** O fortunatos nos credentes, quibus Christum non tantum interrogare licet in uerbo suo, sed etiam responsum datur, *Io. XX, 31, Rom. IIX, 16, 17, 26.* Sit, pro hac gratia,


Τ Ω Ι Θ Ε Ω Ι Μ Ο Ν Ω Ι Η Δ Ο Ξ Α


Index.


- 1) Christ. Aug. Schütz (P. F. Bahrdt) De Vestigijs Religionis paganae apud Pontificios specimen ad Matth. IV. 10.
- 2) Jo. Frid. Stubbemanni Vindiciae oculo-rum quorundam S. S.; potissimum locorum Matth. V. 3 & XIX. 21-26.
- 3) Casp. Jac. Stuthig de Manufactis terrae haredibus. Matth. V. 5. Sectio prior exeg.
- 4) Christ. Sigism. Georgius de Proprie Insuperbia Vanitate ad C. C. Matth. V. 20-26. & Luc. V. 1-11. Sectio posterior dogm.
- 5) Jo. Henr. Meserpsford de Dictione sacra Agnere & Agnoscere ex Matth. VI. 12. contra Synisimum.
- 6) Christ. Sigism. Georgius de Divinitate Christi omnipotentis & omniscientia attributis probata ad C. C. Matth. VIII. 1-13. 23-27. XIII. 24-30 illustrandos.
- 7) Christ. Leber. Muller (P. P. F. Neubauer) de Missionariis Christi. ad Matth. X. 16. & Luc. X. 3.
- 8) Christoph. Matth. Paffius de Ecclesia Petre inaedificata & Potestate ligandi & solvendi Petro data, ad Matth. XVII. 18. 19.
- 9) Theoph. Gul. Formijch (P. F. Bahrdt) de Potestate Ecclesiae, ad Matth. XVII. 19.
- 10) Christ. Sigism. Georgius de Scandalo dato atq; accepto. ad C. C. Matth. XVIII. 1-11. & IX. 1-8.
- 11) Christ. Gottl. Frid. Waffius de Sivertho Sudaorum ad illustrationem var. S. S. C. imprimis Matth. XIX. 8. 9.
- 12) Jo. Rud. Hiesling de Procuratore in Venia Romani ad Matth. XX. 8.
- 13) Christ. Sig. Georgius de Gratia Dei homines vocante seris & universalis. ad C. C. Matth. XXII. 1-14. & Joh. IV. 47-54.
- 14) Christ. Sig. Georgius de Amore erga Deum seipsum & proximum. ad C. C. Matth. XXII. 44-46. & Luc. XIV. 1-11.
- 15) Jo. Henr. Bohm Commentatio in Matth. XXIII. 8. 9. 10. (Matth. XXIII. 37. AB. Pars altera.)
- 16) Jo. Georg. Gottl. Schwartz (P. P. R. H. Rollé) de Gratia convertente Sudaicis seris oblata & turpiter ab ipse repudiata ad
- 17) Henr. Gottl. Reichterus (P. P. H. Klauing) de Agitatione copiarum caelestium circa finem orbis expectanda, ex Matth. XXIV. 29. Marc. XIII. 25. & Luc. XXI. 26.
- 18) Christ. Thomasius (P. P. F. Moeb) de Injusto Pontis Pilati judicio.
- 19) Christ. Sig. Georgius de Sepi justificante & justificato ad C. C. Marc. VII. 31-37. & Luc. XVIII. 9-14.
- 20) Jo. Dav. Michaelis Dissertationes duae ad Marc. X. 42. & XV. 25. ac Joh. XIX. 14.
- 21) Chr. Sig. Georgius de Fide in S. C. ad dextram Dei exaltatum sacrificia, ad C. C. Marc. XVI. 14-20 & Joh. III. 16-21.
- 22) Christ. Sig. Georgius de Fidei ad Agogozias certitudine, ad C. C. Luc. I. 57-80. & I. 39-56.
- 23) Georg. Gockius de Profecis Christi.
- 24) Christoph. Frid. Schott (P. P. H. Kamm) ad Luc. XIII. 23. 24.
- 25) Chr. Sig. Georgius de Homine aeterna sua damnationis causa, ad C. C. Luc. XIV. 16-24. & XVI. 19-31.
- 26) Christ. Sig. Georgius de Imitatione sepulchri Dei misericordis ad C. C. Luc. XI. 1-10. & VI. 38-42.
- 27) Joh. And. Gailius in Dictione Satoris Luc. XVII. 20-21. de Regno Dei in Terris.
- 28) Paul. Gylong. a Pettjer de Sepulo sancto Rom. XVI. 17. eiq; opposito Sepulo Suda. Luc. XXII. 48.
- 29) Jo. Gottl. Lange (P. P. H. Stemler) Nathanaelis de Christo confessio. Joh. I. 49.
- 30) J. S. J. Mann dicta Schenck de Lotione a Christo administrata.
- 31) Joh. Ad. Qvander de Historia Mulieris adultera non adulterina, ad Joh. VIII. 1-11.
- 32) Gul. Henr. Lippendorf (P. P. C. Paff) contra Georg. Troperantium in verba Christi ad Petrum Joh. XXI. 22.


- 34) Pictas paraſceuſtica in ſuprema ſervatoris in cruce morientis I pag. 3 de ſcriptis veterum ſpedantibus in
Xpo ad exaltatū iudicium redire.
 b. To. Chriſt. Werner Doctri Panegyricus diei Xpi emortuali habitus. II p. 16 de Xpo placati letas exemplo.
- 35) Bened. Gotth. Hlauwitz Δύβωντα quae harmoniam hiſtoria Reſurrectionis J.C. circumſtant.
- 36) Gotth. Frid. Gudii
 a. Vindicia Dكتورum Johannis pro univerſali gratia ab Eplicationibus Lampii.
 b. ——— Pauca ſalvatorum à Coeli ſecondi Livionis objectionibus.
 c. ——— Nathanaelis a Patria ſua contemptu.

2









Index.

(F. Bahrdt) De Vestigijs Religionis paganae apud Pontificiis specimen ad Matth. IV. 10.
 Vindiciae oraculorum quorundam falsis; potissimum locorum Matth. V. 3 & XIX. 21-26.
 Manu factis terra hereditibus. Matth. V. 5. Sectio prior exeg.
 Sectio posterior dogm.
 de Proprie Supbia Vanitate ad l.c. Matth. V. 20-26. & Luc. V. 1-11.
 de Divisione sacrae Aequae ratiōe ad Matth. VI. 12. contra Tyrannum.
 de Divinitate Christi omnipotentis & omniscientis attributis probata ad l.c. Matth.
 II. 24-30 illustratio.
 (P. F. Heubner) de Missionariis Christi. ad Matth. X. 16. & Luc. X. 2.
 de Ecclesia Petre inaedificata & potestate ligandi & solvendi Petro data, ad Matth. XVII. 18-19.
 (P. F. Bahrdt) de Potestate Ecclesie, ad Matth. XVII. 19.
 de scandalo dato ab accepto. ad l.c. Matth. XVIII. 1-11. & IX. 1-8.
 de Divortio Indorum ad illustrationem vni. S. S. l. c. imprimis Matth. XIX. 8-9.
 Procuratore in Vinis Domini. ad Matth. XX. 8.
 de gratia Dei homines vocante serua & universali. ad l.c. Matth. XXII. 1-14. & Joh. IV. 47-54.
 Amore erga Deum, se ipsum & proximum. ad l.c. Matth. XXII. 34-46. & Luc. XIV. 1-11.
 argumentatio in Matth. XXIII. 5. 9. 10. (Matth. XXIII. 27. Ab. Pars altera.)
 (P. R. H. Rolin) de gratia convertente Indis serua oblata & turpiter ab ipsis repudiata ad
 (P. H. Krausling) de Obsequio copiarum ecclesie circa finem orbis expectanda, ex Matth.
 28. & Luc. XXI. 26.
 (F. T. Moeb) de Injusto Pontis Pilati iudicio.
 In justificante & justificato ad l.c. Marc. VII. 31-37. & Luc. XVIII. 9-14.
 Tentationes due ad Marc. X. 42. & XV. 25. ac Joh. XII. 14.
 in f. c. ad dextram Dei exaltatum sacrificia, ad l.c. Marc. XVI. 14-20 & Joh. III. 16-21.
 de pedagogias certitudine, ad l.c. Luc. I. 57-80. & I. 39-50.
 sepis Christi.
 (P. H. Klemm) ad Luc. XIII. 23, 24.
 Homine sterna sue damnationis causa, ad l.c. Luc. XIV. 16-24. & XVI. 19-31.
 imitatione sepulchri Dei misericordis ad l.c. Luc. XVI. 1-10. & VI. 30-42.
 Sicutum laboratoris Luc. XVII. 20-21. de Regno dei in Terris.
 de Ofculo facto Rom. XVI. 17. eiq. opposito ofculo Iuda. Luc. XXII. 48.
 (Stemler) Nathanaelis de Christo confessio. Joh. I. 49.
 de lotionis a Christo administrata.
 Historia Mulieris adultera non adulterina. ad Joh. VIII. 1-11.
 (P. C. H. Hoff) contra Georg. Traperuntium in verba Christi ad Petrum Joh. XXI. 22.